

LXIX. CVPIDINI.

TE contra patriis, & avitis cingerer armis
Caece Puer: sed quam pareret victoria laudem?

LXX. CORPORIS ET ANIMI IN MORBO CONTENTIO.

E Gal. Clem. Marotti.

POscit opem Corpus medicam: Mens solve-re terra
Aestuat, & medicas respuit usque manus.
Corpus humum, cognata levis Mens suspicit astra.
Quam dirum, & Superi, terrificumque fremunt.
Me ne ita, Corpus ait, tristi succumbere morbo?
Mens vero, invisas me trahere usque moras?
Caeca es, ait Corpus. Mens contra, erramus
uterque
Arbitrio summi stemus uterque Dei.

LXXI. CLEM. MAROTTO.

MArotte magnum os Galliae,
E Gallicis tuis bonis,
Latina si facio mala,
Ignoisce barbaro, & hospiti.

LXXII. CLYTEMNESTRA ORESTI.

E Graecis.

AN ventre, an mamma strictum vis condere
ferrum?
Mamma aluit, venter te scelerate tulit.

LXXIII. PETRO CASTELLANO EPISCOPO LIBELLVS.

DVm fugio durum terraque marique Paren-tum,
Orbe vagum Gallo septima luna videt.
Exul ego, sine patre, tuo modo numine tutus,
Ignoto quamvis orbe, superstes ero.

LXXIV. CATHARINAE.

Consiteor, duro longum obliuctatus amori,
Nolebam Pueri subdere colla iugo.
Implorabam amens doctas cum Fratre Sorores,
Et venatricis numina casta Deae.
Non mihi Phoebus opem misero, non Musa
ferebat,
Non canibus toties Delia visa meis.
Vicisti: viciisse tamen tibi gloria nulla.
Mollis homo cecidit vulnere Diva tuo.

LXXV. HVGONI SALLELIO.

EIa age, cresce, meo dico si forte libello,
Ille mihi contra, non sapis hercle, Pater.
Cum rogito caussam, ridens sic ille, libellus
Ut placeam, speras posse placere librum?

LXXVI. IACOBO TEVIO.

SI mihi quam stupida est, tam lingua diserta
fuisse,
Dixisse quam sit lingua diserta tibi.

LXXVII. D. M. POMP. TRI-VVLTII.

HVnc quisquis tumulum vides,
Pomponii tumulum vides,
Trivultii tumulum vides.

LXXVIII. D. M. SIBYLLAE BARCIAE.

DVm Pater ipse hominum coelis inferre Si-byllae
Et mentem, & mentis terrea claustra parat,
En Tellus Natae collo dans brachia circum,
Patri animum, Matri redditio corpus, ait.
Nata piae iustas lacrymas miserata Parentis,
Liquit Materno corpus inane sinu.

LXXIX. ANTONIO ARLERIO.

PRima meae viridis deliramenta iuventae
Nonne aliquid falso dicis, & esse putas?
An vero (nec enim tantum scelus excidat ore)
Sanum iudicium, lingua modesta tua est?

LXXX. IANO HABERTO.

QVae tu pauca putas Epigrammata Iane, pu-tarim
Si bona, multa satis: si mala, multa nimis.

LXXXI. IO. ALBENATIO.

VElle tuum nomen nostris me tradere chartis,
Est, puto, cum scriptis velle perire meis.

LXXXII. D. M. IO. ALBERTI REOLANI.

NE tumulum Alberti exiguum mirere viator:
Nam quo potuit cunque obtagi
Albertus tumulo, doctae potuere Sorores,
Et Gratiae, & Pietas tegi.

LXXXIII. FVNDANO.

SI Fundane rogas, quam sit bonus ille poëta
Publius ille tuus, Coelius ille tuus,
Coelius ille tuus divinae Persidos autor,
Optimus est medicus Coelius ille tuus.

LXXXIV. CLARIO.

VT coelo se Rufinus lapsum esse putarit,
Rufino ignotus fecit uterque parens.

LXXXV.

LXXXV. IAC. BELNAEO.

Ex iuramento veteres Laurentius omnes
Emendaturus si potuisset, erat
Si nescis vires ultra cur ausus, & artem,
In promptu caussa est, relligiosus erat.

LXXXVI. BASSA.

COniugis (horrendum visu) Bassae astitit um-
bra,
Quem Galla perederat lues.
Dixit &, o vitae quondam pars altera nostrae,
Si qua pietas, si qua est fides,
His miserum tandem flammis precor eripe: at illa,
Sudore tibi coniunx opus.

LXXXVII. D. M. FRANCISCAE
PERVSIAE.

Veneri.

Qvid, quod in aetatis Francisca Perusia flore
Erepta est, flesi tuque Puerque tuus?
Quid flesi? poterat siquidem nihil addere formae,
Virtuti, ingenio virginis ipsa dies.

LXXXVIII. CAROLO
MARTHANO.

Dicunt pastores, dicunt me Carole vatem.
Dicunt pastores: sed non ego credulus illis.

LXXXIX. IAC. BELNAEO.

Ecce repente ferax uno dat Gallia partu
Doletum iambico trucem,
Macrinum curva narum testudine Divum
Restinguere ardentes minas,
Borbonum Latiis salibusque iocisque fluentem
Nugisque gratum seriis,
Vosque o Vultei, Bixi, Marthane, Ducheri,
Sacrae decora Poëseos.
Si, quid agam, nescis, numero Belnaee Poëtas,
Quos Gallia protulit ferax.

XC. FRANCISCO MELLIO.

Nostra tuos oculos si pagina venerit ante,
Divinas Mellis pertigeritque manus,
Parce precor chartis, misero quoque parce Pa-
renti:
Nil ego, nil chartae commeruere meae.
Ter voluere mori: ter edaci perdere flamma,
Conanti patriae ter decidere manus.

XCI. INFANTIO.

Erro, loquax, vanus, mendax, effronsque
petaxque,
Ingratus, nequam, dissimulator, iners,
Cur sit Ioannes Michaël, si forte requiris,
Infanti, Monachum scito fuisse Senem.

XCII. SANCTO AMANTI EQVITI
HIEROSOLYMITANO
MERITISS.

Sancte tuos casus, terrae, pelagique labores,
Longas, & innumeras vias,
Postponam ne Ithaci variis erroribus? ille
Fatis agitur ultoribus.
Sancte tua tu sponte fretum, terrasque, cadentem
Solem, atque nascentem vides.
Illum magnae agitant noxae maria omnia circum,
Virtus te animi tui inclyta.

XCIII. IVL. CAES. SCALIGERO.

Heroem te non Troiani nomen Iuli,
Scaligerae ve facit gloria prisca domus.
Quid tibi opus proavis? tua te facit inclyta virtus
Semivirumque Deum, semideumque virum.

XCIV. MEMORIAE SEMI-
TERNAE.

CERCOPITHECUS CATHARINAE, QVI
HIC IACET VIATOR, CVM TRIDVI DOMI-
NAE ABSENTIAM FERRE NON POSSET,
VITA DECESSIT. ANIMALI HOMO MOR-
TEM NON INVIDEAM?

XCV. HECVBA.

E Graecis.

Haerere ut Natae vidi cervicibus enses
Cisseis, niveas dilaniata comas
Incusat coelum, terras, incusat Achillem,
Heu pia, sed Natae nil valitura Parens.
Hectora raptavit vivus: secum auferet orco
Relliquis partus mortuus ille mei?
Quo nati Aeacidem laesistis crimine? saltem
Saltem utero immitis parceret umbra meo.

XCVI. CATHARINAE.

Alma fave dixi gemini Dea mater amoris:
Respexit vatem casta Diana suum.
Obstupui, Divaeque manus cum voce tetendi,
Sum Dea, sum casti miles amoris ego.
Illa nihil, subitoque, oculos aversa, refugit.
Hem, nequedum miseret te Catharina mei?
Vrar ego? moriar prudensque, sciensque, vi-
densque?
Sitque mihi vitae consuluisse nefas?

XCVII. BAVIO.

Incipio, dicis mihi saepius, esse poëta.
Si verum narras, incipis esse miser.

XCVIII.

XCVIII. BENEDICTO CRASSO.

SI qua suo fuerint, ut erunt, indigna parente,
Edita temporibus scito fuisse meis.
Hinc crudelis amor, hinc me torquebat egestas,
Turpior haec, multo durior ille tamen.
Sola mihi requies, & lenti temporis usus,
Non est ingenio fama petita meu.

XCIX. LIBELLO.

DVm tibi parve Liber noctesque, diesque
laboro,
Constitit ante oculos casta Diana meos.
Dixit &, o leporum Vates oblite, canumque,
Cur opus aggredieris desidiose novum?
Haec erat illa fides, mihi quam felicibus arvis
Vascoiae quondam perfide saepe dabas?
Quid tibi monstravi saltus? quid tecta ferarum?
Quid celeres egi per iuga summa canes?

Quid docui, dum ferventi sub Sole iaceret
Nostrum gramineo fessus uterque toro,
Quae canibus, quae sit lepori natura fugaci,
Quae venatorem tangere cura potest,
Quae canibus dederit blandis medicamina Chi-
ron?


Scilicet ut caperent irrita verba noti.
Mitte sales Latios, interruptumque labore
Perfice: nugarum quisque Poëta bonus.
Haec ait, atque oculis sese mortalibus aufert:
Attonitum vatem deseruitque suum.
Parve liber, Divae monitis parere necesse est:
Consulit illa tibi, consulit illa sibi.
Ignoscit tibi Virgilii fortasse libello:
Quam veniam nunquam promereare Liber.

C. LECTORIBVS LIBELLVS.

PArcite, Lectores, periturae parcite chartae:
Ut peream, vestra non eget autor ope.

EPIGRAMMATVM

FINIS.



ANTONIVS GOVEANVS IAC. REGINALDO ALENIO

S A L V T E M.

SI TV, uxor, liberique tui V. B. E. E. Q. V. Quae frigida, quae inepta, quae nobis indigna IAC. REGINALDE prior habuit editio, cuius generis multa post aliquanto, quam in hominum manus venissent, sentire coepimus apertius, defendet, siquidem, volet, BELNAEVUS noster, qui eorum, ut nulla nostra voluntate editionem praecipitavit, ita suscepit patrocinium. Si mibi bene vis, quidquid apud te prioris erit editionis, quod ipsum a literatis omnibus summe contendeo, paternae poenas temeritatis persolvet. Valde nos animo tremere, atque commoveri, posteritatis qualia sint de scriptis nostris futura iudicia, summa tibi asseveratione confirmo: de nostra memoria minus ut laborem, facit id, quod suis tempora iniqua esse ingeniis solere, & didicimus, & sumus experti. Si cui nos forte in memoriae huius poetas extitisse videmur emissarii, is vero intelligat hos a nobis commendari, hos ad scribendum ridendumque liberius invitari, ea denique licentia, quae summa esse hoc in genere solet, moderata esse nos usos, atque temperata. Libere apud te, tanquam apud me alterum, animi mei sensus deponam. Extitimus dereum GOVEANI, nescio qui, novum sane, ut ego interpretor, atque inauditum ineptorum genus: qui cum poetas & dici velimus, & baberi, scribamus autem nihil nisi flagris dignum (iuvat enim, & certe decet adversus ignorantes sua in dicendo abuti libertate) quid de nobis non pollicemur? nihil nos nostri, nihil posteriorum, nihil aequalium, nihil maiorum pudet. Ineptire nos, patior equidem facile, melius enim nihil possumus, arduaque sequentes honestum est vel in postremis consistere, tam esse inanes ferre dissimulanter neque potui, neque debui. Errant qui me eorum vel laudi vel ingeniis putant invidisse, errant mibi crede IACOBUS REGINALDE: nihil in illis tantum, ut μωμόσασθαι mibi sit, quam μωμόσασθαι facilius: sed tibi ac literatis omnibus esse volui testatum, me, cum quid omnes possemus, intelligerem (in eodem enim aut imperitorum sumus, aut ementium albo) quemadmodum loqui de nobis ac sentire deberemus, prudenter sane pervidisse. Male mibi Di faciant, mibi si quisquam minus tribuit quam ego, imponit, blanditur minus: multa e nostris in vulgus probantur, multa a mediocriter eruditis, multa a poëtis etiam ipsis, quae mibi ne luce quidem digna videri possunt. Quod si iurati ut caeterarum rerum artifices, sic poëtae crearemur, neque tanta poëtarum esset φορά, neque a doctis ratio haec scribendi spreta, atque contempta ingeniis esset agrestioribus relictæ. Sed heus tu vale: effugiet fera, nisi advolo: Venatio longas
Non didicit tolerare moras. —
ita enim a nobis scriptum est. Iterum vale.

ANTONII GOVEANI
EPISTOLAE QVATVOR.

ANTONIVS GOVEANVS
I O. R O M A N O
CREMONENSI CASALINO MAIORITANO
S A L.

TVIS in me meritis, IOANNES ROMANE, satisfacere eo
possum sane minus, quo contendō magis: factum nisi tibi
a me abunde satis putas, dum memoria teneo, quod obli-
visci non possum. Ea cum te mente esse sentirem, data
a nobis opera est, ut & benignitatis tuae, & memoriae meae ad
posteros qualemque, meum tamen perveniret testimonium: erit for-
tasse tua commendatione sempiternum. Vale.

ANTONIVS GOVEANVS
CATHARINAE
S A L.

Ea vis amoris est, CATHARINA, ut nobis cum tacere minime
sit integrum, ineptire sit etiam necesse. Quid agas?
ita hercle natus sum, ut amoris mihi sit,
quam ingenii gloria iucundior.
Vale.

ANTONII GOVEANI EPISTOLAE QVATVOR.

EPISTOLA PRIMA. GOVEANVS CATHARINAE.

EN Catharina tibi, quam non fortasse requiris,
A Lusitano littera missa viro.
Quae tibi non potuit praesenti dicere lingua,
Nescio, quo potuit scribere dextra modo.
Ter calamus cecidit digitis, ter verba negavit
Musa, ter incepitos destituitque sonos.
Ter conatus ego fletus cohibere, ter illi
Vberius gravidis prosiluere genis.
Tandem ubi per lacrymas licuit, sed flebilis orsa est,
Singultu tremulos excutiente sonos. (10)
Aspice verborum caecasque, rudesque figuræ:
Aspice, quam multis multa litura locis.
Da veniam lacrymis (veniam Catharina merentur)
Si minus est oculis littera digna tuis.
Venimus huc, credo, fatis autoribus ambo:
Et patrium moestus liquit uterque solum.
Beia mihi patria est, fuerat Pax Iulia priscis:
Iulius hoc dederat nomen habere loco.
Tres vidi fratres, tres me videre sorores:
Sorsque tui partus ultima, Mater, ego. (20)
Gallia tres studiis florens ignobilis oti
Ceperat, accessi quartus & ipse tribus.
Annos detinuit populosa Lutetia septem,
Crescentem studiis erudiitque bonis.
Me tamen a primis bello sacraverat annis,
Vt successorem laudis haberet, avus.
At Mars alter erat, bella altera, & alretra castra,
Altera militiae cura futura meac.
Hinc me Burdigalæ falcatum littus in arcum
Accipit: huc Frater venerat ante meus. (30)
Hic rursum Musas studio complectimur omni:
Hic primum canibus Delia visa meis.
Hinc me post varias fatalis Avinio terras
Accepit, fatis debita terra meis.
Nobilis illa viris, & muro nobilis alto,
Formae nobilior nobilitate tuae.
Cuius ut ad nostras rumor fese attulit aures,
Tentari sensi pectora nostra rogis.
Heu quantum terrae, quantum maris aequor aravi,
Cassibus ut caperer hospita praeda tuis? (40)
Hic nomen Catharina tuum, patriamque rogavi,
Quis pater, & proavi, quod genus omne tuum.
Nobile simplicitas dederat tibi candida nomen:
Et pater a proavis regibus ortus erat.
Vifendi incessit misero male providus ardor:
Scilicet, ut visu laederer ipse meo.
Vt video, ut pereo: subitoque accensa favilla
Ingeminat vires, multiplicatque suas.
Istud erat, cur te famosa Lutetia liqui, (50)
Aonios demens deseruique lacus.

Istud erat, cur Burdigalam, claramque Tholosam
Neglexi, terras appetiique novas.
At vidisse fuit, quoniam sic fata, necesse:
Nec visa potui non periisse Dea.
Sensistique ignes, si vis modo vera fateri,
Materiamque tibi saepe dedere ioci.
O medio haerebat quoties mihi lingua palato,
Et mihi pro lingua lucidus ignis erat?
Pro lingua, gemitus, lacrymae, suspiria crebra?
Quid facias? saevus verba coercet amor. (60)
Quin etiam cupiens omni tibi parte placere,
Ingenii coepi prodere signa mei.
Doctorum tenui totis sex mensibus aures:
Nec fuit ingenio fama sinistra meo.
Quod si quem nostri forsan iuvere labores,
Gratia sit meritis tota ferenda tuis.
Quid verbis opus est? satis imprudenter amavi.
Scis quam non facile dissimuletur amor.
Id ne quæso nega: cupias fortasse negare.
Hei mihi, quam, posses iure negare, velim. (70)
Ac vellem, ut cuperes id tu Catharina negare,
Sic mentiretur littera nostra tibi.
Quid iam sperassem fatis accedere nostris?
En aliis rerum nascitur ordo mihi.
Quo Superi, quo me tandem, quo mittitis? ibo.
Longius hinc sine te, te Catharina sine?
Istud erat, cur iactatum terraque, marique,
His demum placuit constituisse locis?
Hem quid ego admisi? quae non ego numina
demens,
Quos ego non colui, demeruique Deos? (80)
O possem sensus utinam tibi scribere nostros;
Sentires, verus quam meus esset amor.
Sentires, lacrymasque dares, miserata dolorem:
Ad lacrymas quamvis nil mala nostra tuas.
Forte erit ut dicas: me si Goveanus amasset,
Movisset precibus fata, Iovemque suis.
Altera non esset tellus quaerenda per orbem,
Non alter rursum solicitandus amor.
Crede mihi, nondum visam Goveanus amavit,
Certavitque sua fata movere prece. (90)
Altera terra tamen misero quaeranda per orbem,
Non alter fuerit solicitandus amor.
Quas me cunque ferent Superi, referentque sub
oras,
Quae misero cunque gens adeunda mihi,
Vt tuus ipse fui, cum non mihi visa fuisses,
Sic ero, quod superest, tempus in omne tuus.
Sive, quod avertant Superi, mihi vita superficit,
Sive peregrinus contegat ossa lapis.

EPISTOLA SECUNDA.

CATHARINA GOVEANO.

QVANDO erit, ut lacrymis possis mollescere nostris?
 Quando erit, ut vietas des Goveane manus?
 Lusisti, quae te nunquam decepit amantem.
 Res est plena levis credulitatis amor.
 Me mea simplicitas. culpae non plectimur ergo.
 An non illa tuo digna favore magis?
 Dixisti quoties, ego te Catharina relinquam?
 Ante tuus refluas Sequana vertet aquas.
 At dixisse parum: res est Iove credita teste.
 Vltor perfidiae sit precor ille tuae. (10)
 Sequana quo properas? virides quo tenditis undae?
 Altera periuro terra petita viro.
 Partus & alter amor, nec prisco tangitur igne:
 Quamque iterum violet, altera pacta fides.
 Ima tibi ô utinam tellus scelerate dehiscat:
 Iuppiter aut missi fulminis igne cremet.
 Aut te gurgitibus rapiat te surdior unda,
 Perfide, nec gemitus audiat illa tuos.
 Corporeque incesto pascas genus omne natantum,
 Offaque post longo tempore ruget aqua. (20)
 Haec hic, haec illic fulva spargantur arena.
 Nec sit, qui tumuli curet honore tegi.
 Quid precor infelix? malim te vivere, malim:
 Tristior at morte vita sit illa tamen.
 Hospes in ignota vivas inglorius urbe:
 Sit fortuna tamen invidiosa tua.
 Deneget aequor iter, tellus ignota favorem:
 Multa tibi terrae, plura minentur aquae.
 Sis miser, illudant misero, calcentque iacentem
 Si quos officiis demeruisse potes. (30)
 Sis miser, & soli mihi sis miserabilis ipse:
 Commovearque tuis indoleamque malis.
 Et quos flagitio non irritaveris ullo,
 Coniurent omnes in tua damna Dei.
 Nil ubi non tuleris, levior sit criminis culpa:
 Pacatumque tibi confiteare Iovem.

Di maris & terrae, Di qui Iovis astra tenetis,
 Imperiuratae quique praestis aquae,
 Annuite, & votis omnes subscribite nostris:
 Explevit partes iustior ira suas. (40)
 Venisti, ut terra posses discedere nostra:
 Impositam mediis desereresque rogis.
 Demophoon pelagi variis erroribus actus
 Intravit portus, Thracia Phylli, tuos.
 Intravit, regnoque tibi, lectoque receptus
 Commisit rapidis vela fidemque Notis.
 Mino in Theseus, & te delusit Iason
 Hypsipyle, meritis gratus uterque parum.
 Phryx prosfugus, miseraeque Asiae desfector,
 Elyssam:
 Teque tuus, citharam docta puella Phaon. (50)
 Lusisti tu me, ne non ego foemina credar.
 Haec semper sexus fata fuere mei.
 At mea conditio peior, quia perfide (scis tu)
 Infelix de te gaudia nulla tuli.
 Cedere certus eras miseramque relinquere certus,
 Se mihi cum fallax insinuabat amor.
 Serus amor mentem multo inclementius urit,
 Compensatque suas asperitate moras.
 Te per ego has lacrymas oro, mala nostra levantes,
 Per si quisquam hominis pectore sensus
 inest, (60)
 Consule, quae nostrum poscat medicamina vulnus,
 Vulneris aut cesset qua ratione dolor.
 Consulis, expectem, qui non redditurus abiisti?
 Scilicet haec fidei sit tibi cura tuae.
 Ales Amor, te si quidquam mortalia tangunt,
 Ales Amor, votis saepe vocate meis,
 Ales Amor, sequere erronem terraque, marique:
 Sentiat iratos numen habere Deos.
 Ardeat igne novo: prisco non pungitur igne.
 Flagret, & occultum pectore vulnus alat. (70)
 Haec, Goveane, mihi veniet cum fama per aures,
 Secura fuerit nil mihi morte prius.

EPISTOLA TERTIA.

GOVEANVS CATHARINAE.

EXPECTAS tibi dum mittam Catharina salutem?
 Hei mihi, quo careat, mittere nemo potest.
 Luna quater latuit, nec enim me tempora fallunt,
 Nec tua sunt oculis reddita verba meis.
 Quae potuere tuam tenuisse oblia mentem?
 Ipse tuus, domina tu mihi nuper eras.
 Nec libertatis pretium mihi blanda poposci
 Oscula: vix tanti vita putanda fuit.

Non petii amplexus, audentem Ixiona saevae
 Dilacerant medium, diripiuntque rotae. (10)
 Haec tua nobilitas, vitae sine crimine mores,
 Hic decor, arbitrii iura tulere mei.
 Atque utinam neque forma tibi, neque cana
 fuisset.
 Nobilitas, mores nec sine labe tui.
 Vixissim multo sane felicior: es
 Nec mihi tu domina, nec tibi servus ego.
 Iam

Iam ne tuus non sum, neque me facis ipsa tuorum?
 Crimine quo potui non tuus esse meo?
 Si tibi noster amor paucis evanuit horis,
 Cur non ingenii sum Catharina tui? (20)
 Longa mihi geminant conceptam tempora flam-
 mam,
 Multiplicantque meos tempus, & hora rogos.
 Tu ne meis lacrymis lacrymas sine fine dedisti,
 Iunxitque meis talia verba sonis?
 Hinc potes avelli? dominam fugitive relinques?
 Haec cine mentiti finis amoris erit?
 Te quid ego infelix, me quid tu semper amasti?
 Dic, ubi nostra fides? dic, ubi noster amor?
 Haec nisi me fallo, neque sum mihi credulus ipse.
 Vox non occulti testis amoris erat. (30)
 Testis amoris erat, hoc saltem parce negare.
 Tam castus non est dissimulandus amor.
 Et tua (nam recolo) nunquam mihi dicere lingua
 Supremum potuit sustinuitque vale.
 Nunc tibi si rerum facies indigna mearum
 Despicitur, sortis crimine laedor ego.
 Despicienda tamen fortunae iniuria nostrae
 Non venit, at potius illa dolenda venit.
 Illa dolenda venit saltem, lacrymisque iuvanda:
 Id pietatis erat officiique tui. (40)
 Sola tamen fortuna deest, non altior omni
 Mens casu, & duris durior usque malis.
 Non exculta deest studiis melioribus aetas,
 Non deest ingenio fama benigna meo.
 Non deest nobilitas ab avis, proavisque relicta,
 Successor cuius ordine factus ego.
 Non deest (quo recreor) viridisque valensque
 iuventa,
 Non spes ad magnos, difficilesque gradus.
 Sola mihi fortuna deest Catharina: sed illa
 Non uno semper statque, manetque loco. (50)
 Ultima contigerant, fateor: hinc turpis egestas,
 Hinc pudor, hinc saevus bella movebat amor.
 Est tamen hic quod ames, possis quod spernere
 non est.
 Endymion pastor, pastor Adonis erat.
 Dum Paris Idaeis pascebat collibus agnos,
 Pauper erat, Nympha pauperis uxor erat.
 Nil ego tale peto: numero me iunge tuorum:
 Ipse tibi vitae debitor huius ero.
 An neque te nostri tenuere oblivia, sortis
 Nec despecta tibi forma pudenda meae? (60)
 An tibi suspicio est, alios me querere amores,

Et captiva novo subdere colla iugo?
 Caussa quidem iusta est, & amoris plena sagacis:
 Illa tamen nobis significanda fuit.
 Non ea vis animo, nec amores tempora poscunt
 Nostra, nec in miseris se novus abdit amor.
 Atque utinam vitae ratio tibi cognita nostrae
 Eset, ab hac vacuus suspitione forem.
 Vivimus, at vitam lucemque hominesque per-
 osi:
 Estque puto ad lacrymas vita relicta mihi. (70)
 Conquerimur tardos nocti succedere soles,
 Decipimus lacrymis eximimusque dies.
 Atque utinam lacrymas oculi Catharina negarent:
 Desiceret tantis obruta vita malis.
 O quoties brevibus numero pro mensibus annos?
 It quoties longa tardior hora die?
 Ignavam quoties mortem, lentamque vocamus?
 O precibus quoties surduit illa meis?
 Solaque curarum lenimen Musa mearum
 Compescit lacrymas officiosa meas. (80)
 Carminibus lenit interpellatque dolores,
 Quaque potest animum garrulitate levat.
 Dicitur, erepta Briseide, moestus Achilles
 Bistonias lacrymas continuisse lyra.
 Cum traheret sylvas deserti ad Strymonis undas
 Orpheus, Eurydice rapta bis uxor erat.
 Naso Tomitanis exul dum viveret oris,
 Per quam nullus erat, artis egebat ope.
 Aspice, ne tecum falso tibi somnia singas,
 Et peragrar falsi criminis ipse reus. (90)
 Hei mihi, venturo non est locus ullus amori,
 Nec capiunt plagas pectora nostra novas.
 Forsitan id metuis, quoniam nil contigit, esset
 Vel mihi dulce tuum, vel tibi dulce meum.
 Dulce nihil fateor, tamen a te quidquid ama-
 rum est,
 Dulce sit, & propriis mulceor ipse malis.
 Quid facias? adimit sensus, mentemque Cupido:
 Contingitque vasen melle venena Puer:
 Testor ego has lacrymas, tot quae secere lituras,
 Testor & haec animi conscientia signa mei, (100)
 Te, numenque tuum, quo non praesentius ul-
 lum,
 Esse, velis, nolis, me Catharina tuum.
 Meque fuisse tuum, cum non mihi visa fuisses,
 Et fore, quod supereft tempus in omne, tuum:
 Et duraturum, duret dum vita. Beatus
 Ille mihi, potuit quisquis amando mori.

EPISTOLA QVARTA.

GOVEANVS CATHARINAE.

PERLEGE: quid dubitas? num te novus im-
 pedit ardor?
 Non venit hostili littera scripta manu.
 Aspice nostrarum lacrymarum signa lituras,

Q q q q q q q

Verbaque pro domino nil valitura suo.
 Perdere verba tamen miseris in parte bonorum
 est:
 Et desperatam quaerere rebus opem.

Me

Me dum vix tulerat sex mater Inesia menses,
 Vixque mihi virae spiritus ullus erat,
 Haec cum per noctem species oblata parenti est.
 Hei mihi, soemineus non erat ille metus. (10)
 Me procul a patria telo transfixerat infans;
 Caecus erat, matri si sit habenda fides.
 Ah mater, vates nimium mihi vera fuisti;
 En in transfixo pectore tela manent.
 En longe patria est, longe vos estis amici,
 En fugit ad lacrymas hospita terra meas.
 O utinam vastum nunquam maris aequor arasset,
 Nec portum intrasset Gallica terra tuum.
 Non morerer Catharina sciensque, vidensque:
 fuisses
 Nec tu visa mihi, nec tibi visus ego. (20)
 Nec crudelis amor, quis enim puer ille fuisset?
 Fixisset iaculis mollia corda suis.
 Quid queror? aut quis ego? fatorum immobilis
 ordo
 Sic erat: in dominos ius habet ille Deos.
 Mens fer, & obdura: culpae tibi conscientia non es.
 Si quid erit, merito quod patiare, dole.
 Non mihi laetus Amor, Matris non spreta po-
 testas,
 Non sum Tydidae criminis author ego.
 Non data deserui duce signa Cupidine: semper,
 Semper militiae dux fuit ille meae. (30)
 Non detrectavi noctuque, diuque labores,
 Pro quibus a Puer gratia nulla mihi.
 Hic si culpa mea est, & culpae laedimur ergo;
 Iam dubito, iustos an rear esse Deos.
 Parce infelices sceleris damnum Cupido:
 Vatibus infensum non decet esse tuis.
 Dic mihi quid feci, nisi quod bene semper amavi?
 Esse reus possum criminis huius ego.
 Tu Catharina potes caussae subscribere nostrae:
 Pectoris integritas est tibi nota mei. (40)
 Sis iniusta licet, neque te clementia tangat,
 Sperem iudicio vincere posse tuo.
 Me miserum, quali dico sub iudice caussam.
 Aspice, quam nobis caussa det ipsa fidem.
 Te non officii iugis observantia nostri,
 Te non castus amor, non sine labe fides,
 Non servata mihi variis constantia rebus
 Adducit, nolis immemor esse mei.
 Id sat erit misero, nec amari poscimus abs te:
 Oderis, ast odii caussa sit unus amor. (50)
 Aspice, qua servire tibi sum lege paratus,
 Spiritus invisus dum trahet iste moras.
 At, bene dum reputo, legem quis ponat amor?
 Quem non imperiis continet ille suis?
 Oderis ergo licet, nostri sis immemor usque,

Sum tuus, & maneo tempus in omne tuus.
 Esse tuus possum, contra licet aspera pugnes:
 At tuus ut dicar, tu dare sola potes.
 Non merui, fateor: merito sine gratia crescit:
 Virtutique patet latior ara tuae. (60)
 Ne cadat ante diem, viridis miserere iuventae:
 Offa peregrina ne ve tegantur humo.
 Ingenii miserere mei: me pungere nuper
 Sobrius aeterni coepit honoris amor.
 Utque tuum legerent nomen post fata Nepotes,
 Saepe mihi in laudes Musa vocata tuas.
 Forte erit, ut nostri vivant monumenta laboris,
 Inque manus serae posteritatis eant:
 Virtutisque tuae fiat mea pagina testis:
 Crede mihi, fugiunt carmina sola diem. (70)
 Sin te non miseret nostri, miserere parentis:
 Ultima fors partus illius ipse fui.
 Tres illi nati, quos Gallia detinet omnes:
 Nec desiderium quo minuatur, habet:
 Solo domo moeret vidua natosque, patremque.
 I nunc, & leti caussa ferare mei.
 Et Lusitanis absit licet illa sub oris,
 At celeris nimium nuntia, fama mali.
 Quod si te forsan possent mala nostra iuvare,
 Quae paterer, sane ferre suave foret. (80)
 Sin te nulla iuvant aliena incommoda, verum
 Nil opus est rapidis fundere verba Notis.
 Vtere iure tuo, quoniam sic fata tulerunt:
 Eripe quae sola est vita relicta mihi.
 Ibirus ad miseras, valde nisi fallimur, umbras,
 Quas dirus caeca tabe peredit Amor.
 Ibirus, & mecum sylva condentur eadem
 Hypsiphyle, Dido, Laodamia, Procris.
 Ibirus, & lacrymas omnes miscebimus una;
 Crede mihi, sexus laus erat ista tui. (90)
 Iliacam ut vidit classem procedere velis,
 Ipsa sua Dido concidit icta manu.
 Vedit Abydenum iactatum Sestias undis,
 Se simul in tumidas praecipitavit aquas.
 Quid referam Thysben? quid te patre digna
 Catone
 Porcia? quid gladios Arria casta tuos?
 Quid Procrin, Hypsiphylem, reliquaque He-
 roidas omnes,
 Tu quibus es maior sanguine, laude minor?
 Grandia mentiti qui praemia ferret amoris
 Vidimus, at nosster morte luetur amor. (100)
 Offa tegentur humo, cum spiritus offa relinquet,
 Inque sepulcrali marmore carmen erit.
 SCIRE MEAE CAVSSAM MORTIS QVICVNQVE LABORAS,
 CRIMINIS ET SVMMA QVAE SIT, AMATOR ERAM.

ANT. GOVEANVS IACOBO BELNAEO SAL.

DIC mihi verum, num ita Ovidius? volui quidem certe: quod si aut industria
 sumus, aut ingenio consecuti, magnum quiddam, atque incredibile nostris hominibus
 perfecimus. An vero ille cultior, magis sua sponte fluens, copiosior? Nihil me caela:
 malo iudicii illius tui, quam benevolentiae testimonium. Haec si tui erunt palati,
 dabo ubi fame abuti possis. Vale.

ANTONII GOVEANI

I V R I S C O N S V L T I

V E R S V S

(*NVNC PRIMVM EX BIBLIOTHECA
VATICANA IN LVCEM EDITI.*)

A D O N I S.

A R G V M E N T V M.

I. ADONIDIS notam fabulam IOACHIMVS BELLAIVS Gallicis versibus eleganter descripsit. Hi cum forte GOVEANO praesente recitati essent a iuvene quodam & ab omnibus, qui tum aderant, laudati: idem argumentum GOVEANVS Latinis versibus brevius elegantiusque expressurum se pollicitus est; quod ut faceret urgentibus amicis, hos tandem versus cecinit.

Diva potens Cypri, quae ditem Amathunta metallis,
Quae Paphon atque Erycen Idaliumque tenes:
Solve comas, discerpe genas, & pectora tunde,
In falsas oculi dissoluantur aquas:
Et viridis pullo vestis mutetur amictu:
Non venit ad luctus laetior iste color.
Pro molli viola, pro purpureo narciso,
Pro myrto & grati veris honore rosa,
Funerea intendat currum tibi fronde cupressus,
Et si qua inferno nascitur herba Iovi. (10)
Ducendum pulchri tibi funus Adonitis: ecce
Vidi ego, cum tenerum discidit inguen aper.
Hanc Venus ad vocem gemuit miserabilis altum,
Exanimis viridi procubuitque solo:
Et ter se subito conata attollere, rursum
Linquitur, & cubito deficiente cadit.
Atque ubi mortiferi spatio vis vieta doloris,
Aegraque de gelida membra levavit humo;
Aëra per liquidum niveis ablata columbis,
Aligero currum praecipitante Noto, (20)
Venit ad exanguis pueri lacrymabile corpus,
Saepe querens solito tardius ire rotam:
Et fluxa molle in gremium cervice recepta,
Nomine nequicquam terque quaterque vocat.
Respondet duris habitans in montibus Echo,
Respondent nemorum, garrula turba, Deae.
Utque animam teneat fugientem, os applicat ori,
Et nivea vultus comprimit usque manu.
Ille cruentata moriens resupinus in herba,
Disiectis manibus, luminibusque vagis, (30)
Ostentans frustra coelo inmedicable vulnus,
Si qua Deos pietas forte movere queat.
Nec dominam agnoscit, nota nec voce movetur,
Agnosci interdum se putat illa tamen.
Ast oculis postquam vidit labantibus alto
Cum gemitu corpus deseruisse animam,
Omnia lamentis dirisque ululatibus implet,
Et roseas diro dissecat ungue genas.

Astantes circum montes vallesque iacentes
Flebiliter miserae congreguere Deae. (40)
Ipsae etiam gemuere ferae, pictaeque volucres
Ter circum moestis concinuere modis.
Et sylva ex omni gemuere armenta: nec illo
Aut herbam quadrupes attigit ulla die:
Aut liquidas libavit aquas, aut ubera natis
Plena dedit, tecto supposuitve caput.
Aethere sub nudo stratae iacuere, magistris
Nota parum tanti caussa doloris erat.
Sponte tamen moestum moerent pecus inter &
ipsi,
Immemores pecoris, immemoresque sui. (50)
Ipsa etiam pressere suos cava flumina cursus,
Et vitreas, fontes, continuistis aquas.
Multa Venus Phoebum incusat, sed plura pa-
rentem,
Panaque semiferum capripedesque Deos.
Sed necis in solam confert scelus omne Dianam,
Ingenium multis mitius esse feris:
Et quibus ipsa bonis caret, obtrectare maligne,
Quae si nec Virgo nec scelerata foret.
Haec dicens tota in lacrymas Dea solvit, ac se
Mortalem queritur non habuisse patrem. (60)
Umbrae, inquit, comes umbra forem; nec
viva dolerem,
Mortua deliciis perfruererque meis.
Nunc alter Venerem mundus tenet, alter Ado-
nim,
Hei mihi! sed vetitus sepositusque Deis.
Sed, miserande puer, qui te furor impulit alta
Per nemora inmitis exagitare feras?
Tene alios, me devicta, quaesisse triumphos,
Et laudis titulos appetuisse novae?
Scilicet ipsa Deis victrix non impero? non sum
Progenies magni scilicet ipsa Iovis? (70)
Iudicio non sum magnis praelata Deabus?
Aligeri non sum mater Amoris ego?
Fortunate, tibi tua si bona nota fuissent,

Debuit in titulos sat Venus esse tuos.
 Sed quicumque furor, vel amori numina nostro
 Aequa parum (quod ego suspicor esse magis)
 Te saevis obiecit apris, Decor iste Iuventae,
 Debuit immitem continuisse feram.
 Improbe aper, sylvaeque huius generisque
 perenne
 Dedecus, infernis bellua nata locis. (80)
 Non uno Vitam fundas de vulnere: mille
 Vulnera cum tuleris, altera mille feras.
 Ac vivas lentiſſis disceptus morsibus, usque
 Sufficias canibus sufficiasque Lupis.
 Visceribus corvos pascas pede pendulus uno,
 Et pes nequicquam terreat alter aves.
 Parcite, aves, oculis, pereas vivusque videns-
 que,
 Instantisque metu concutiare mali:
 Vulnificum amittas incurva forcipe dentem,
 Cum ferro adducta terque quaterque ma-
 nu: (90)
 Quemque iterum amittas surgat mox alter, &
 alter,

Densque isto nunquam possit abesse loco.
 Omniaque ista ferens, & si quid tristius istis,
 Saepe miser metuas discupiasque mori.
 Vos ignava, canes, Domino custodia vestro,
 Vos miserum extrema destituitis ope.
 Destituisse parum est, etiam spectastis inultum,
 Degeneres, neque vos ira pudorque movent.
 Ite citi, legioque sagax, fortesque molossi,
 Raptate inpuram per nemus omne seram. (100)
 Vivam ad me adtrahite auriculis & naribus: eia
 Surgite, & admissum dedecus eluite.
 Frigidus ast istos dolor obstupescerat omnes,
 Et circum gemitus corpus inane dabant.
 Quos miserata Venus, luctum mihi linquite,
 dixit,
 Fida manus, donec Di voluistis, ero.
 Vesta etenim iactura levis, Dominusque reversos
 Hinc novus excipiet. alter Adonis ubi est?
 Alter Adonis ubi est? iactantem talia fessam
 In coelum dominam proripiuitis, aves. (110)
 Illa oculos charo linquens in corpore, nubes
 Transvolat, atque inter condidit astra caput.

GENETHLIA CVM.

MANFREDI FILII.

ARGUMENTVM.

II. Cum Goveano filius MANFREDVS natus esset, eo tum in Cadurcorum academia ius docente, multi tum Gallicis tum Latinis versibus eius ortum celebravere: horum exemplo commotus pater, filium suis carminibus salutare volens, hoc Genethliacum scripsit.

C Vr ego post linguae magnos utriusque poetas,
 Ortus dignati qui celebrare tuos,
 Non aliquo donem, Fili, te carmine, signa
 Nec dem laetitiae qualiacumque meae?
 Salve nate, mei vultus atque oris imago,
 Qui sua post facies vivere fata patrem.
 Salve nate, meae laudis certissimus haeres,
 Quae meritis crescat multiplicata tuis:
 Salve curarum requies & caussa mearum,
 Vna senectutis spes prope sera meae. (10)
 Salve magnorum soboles generosa virorum,
 Quos priscae authores nobilitatis habes.
 Salve, qui superabis avos, seu castra sequeris,
 Seu pacis dedes artibus ingenium.
 Virtuti fore cuncta tuae proclivia cerno:
 Incipe, sed ducibus auspicibusque Deis.
 Salve cura Deum, manibus quos vidimus ipsi
 (Vera loqui fas sit) partui adesse tuo:
 Quos nihil humanum tibi nil mortale poposci,
 Sed mentem ignoti notitiamque Dei. (20)
 Annuit ipse mihi Divum pater atque hominum
 Rex:

Annuit: ex imo contremuitque domus.
 Ardua vicini concussa cacumina montis,
 Attonitisque diu substitit Oetus aquis.
 Salve ter cincti spes haud obscura Cadurci,
 Si modo quam faciunt talia signa fidem.
 Manfredum innocui pueri, castaeque puellae,
 Auditi multos sponte citare dies.
 Oreades respondebant de montibus altis,
 Delia quas inter vertice maior erat. (30)
 Multi etiam doctas iurant vidisse Sorores,
 Iuratis non sum credulus ipse tamen.
 Astra Deosque fatigavit pia foemina votis,
 Et tulit ad patrios cerea dona Deos:
 Divinique senes pleni Deoque vinoque
 Implebant fatis ominibusque vias.
 Lis omnis, linguaeque malae, mala verba qui-
 erunt,
 Et strepitus surdi conticuere fori.
 Vtraque Vesta novas hymnos, nova carmina dixit,
 Vtraque sacratos ducere visa choros. (40)
 Ludere gemmatis visus sol aureus undis,
 Miratusque suas dicitur Oetus aquas.

Venti

Venti omnes posuere, Oetus sua murmura pressit:
Insolita cantus voce dedistis, aves.
Te quoque ridentem ridens complexa parens est:
Ridentem Furni sustinuere manus:
Furni, cuius amor vita mihi dulcior ipsa est,
Tanta inest prisca cum probitate fides:

Sacro inmeientem pueri risere lavacro,
Turbavit sacras improba turba preces. (50)
Signum agnovit anus laeta, & ridere volenti
Dens tremuit, risum continuitque manu.
Ohe, nate, tuos sat iam cantavimus ortus:
Di faciant, tua sit vita canenda magis.

AD VERMONTEM.

ARGUMENTVM.

III. VERMON & Monachus & causarum Patronus, minime malus Gratianopoli, Goveani nostri amicus & familiaris fuit. Hic Monachorum more puellarum amantissimus, cum suos amores a sorore nepteque, quas tum forte domi alebat, curiosius observatos impeditosque videret, utramque, aliud vultu simulans, domum remisit. Qua de causa Vermonem veluti postliminio reversum, bis versibus Goveanus salutavit.

Qui gemina vincitus fueras modo compede,
Vermon,
Securus vivis, ludis, amaris, amas.
Di procul hinc neptem procul amovere sororem,
Eumenides genii, carnificesque tui.
Infensa illa fores servabat, & illa fenestras,
Vixque tibi liber parvulus hortus erat.
Serta dabant seps alta parum: sat iusta sorori
Vtraque solicitae caussa timoris erat.
Nil tectum praeter vigili statione vacabat,
Hac tibi vicinus saepe volabat amor. (10)
Tu quoque culminibus visus volitare frequenter
Adiutus pennis, credo, cupidineis.
Credita res vulgo est, patribus quoque credita
res est:
Quis dubitet, magnos omnia posse Deos?
Vna tibi ratio fuerat sat tuta reperta
Fallendi, verum non diurna fuit.
Cum sacco intrabat litem mentita puella,
Laeva sequebatur, nomine matris, anus.
Id semel atque iterum recte successerat: ecce
Ut fors perpetuo non solet esse bona. (20)
Ante fores Virgo, vix sol dimoverat umbras:
Flos erat aetatis, dignaque forma Iove.
Intrepide pulsabat anus comes ostia: surgit
Neptis & ad lectum dicit utramque tuum.

Hora fuit cautae subito suspecta sorori:
Nuda pedes, nigra sparsa per ora coma.
Accurrit: lecti gemitus crepitusque sonabant;
Irruit & telum dum suribunda petit;
Adfuit alma Venus, praedaeque tibique timenti
Et coeptum ridens perfice, dixit, opus. (30)
Ex illo nunquam patuerunt limina pulcris
Vsaque consilio nulla puella tuo.
Quin & gallinam si forte puella fugacem
Quaerebat, custos addita neptis erat.
Tam vigilans esset frustratus Iasona custos,
Nec tegmen ditis surripuissest ovis.
Non sic imperii pignus servastis, amatae:
Hesperidum non sic aurea mala, draco.
Cooperat in mediis lapidescere renibus humor,
Duraque pertentum rumpere virga latus. (40)
Altera, crede mihi, pestis te certa manebat:
Di tempestivam ferre soletis opem.
Iidem igitur teneros quoniam curatis amores,
Efficite, ut Lethes utraque potet aquam.
Si redeant, quod Di, quaeso, prohibete Deae-
que,
Vna tibi Ruffi claustra relicta salus.
Stultitia est Hydris, Vermon, pugnare duabus:
Alcidae iustus dicitur una labor.

AD EVNDEM.

ARGUMENTVM.

IV. Expulsa sorore nepteque, paulo post alteram Vermon domum recepit; tum quia annum frumentum vinumque pollicebatur, tum etiam eius importunitate devictus. Quod simul atque Goveano renunciatum est, hos versus ad eum misit, quibus eius libertatem toties amissam recuperatamque deplorat.

R r r r r r r

Ergo

ERGO tibi servire libet, sed quae ista libido
est?
Excusso toties reddere colla iugo?
An tibi di mentem teinerataque numina Russi
Eripiunt, servus semper ut esse velis?
Clitellas asinus tergo non accipit ultiro:
Non retro veniunt ad iuga panda boves.
Multa reluctantem nequicquam & multa mo-
ventem
Arcet avem niveo vimine texta domus.
Et fraenum detrectat equus, monachusque cu-
cullum
Excutit, & claustris ardet abire suis. (10)
Non illum varias imitantia marmora formas,
Naturae indocta marmora pieta manu:
Non paries ostro circum spectandus & auro
Barbarico, aut curis exonerata quies,
Iurative Dei, legis non poena moratur,
Non pudor; inclusis tanta libido fugae.
Denique te praeter, non ulli hominive, seraeve,
Libertas, Vermon, est odiosa sua.
Intraras patris evictus precibusque minisque,
Intraras Russi claustra severa puer. (20)
Inde evasisti, Dis emittentibus ipsis,
Et dono possis cum tuus esse Deum;
Nescio, quas tecto libuit sociare megaeras,
Vitae carnifices ingeniique tui.
Altera neptis erat, foror altera, & utraque
verum
Dicere sit, stygiis vipera nata locis
Non ridere tibi misero, non amare licebat,
Non dulci curas attenuare mero.
Invisam infelix animam, vitamque trahebas,
Teque tibi rursum restituere Dei. (30)
Ecce aliae neptes aliae venere forores
Accitu, miror quod magis ipse, tuo
Heu quae te, Vermon, tangunt fata impia, quive
Insontem exagitat persequiturque Deus?
Nec libertatem patitur gustare, vetusque
Servitium attexit, continuatque novo?
Nomina debueras infausta horrere fororum,
Debueras propriis cautior esse malis.
Sic semel a rabida morsus cane diffugit omnes:

Sic semel indomiti calce petitus equi (40)
Vitat equos: currus Phaeton non expetat: altis
Icarus & nomen reddere nolit aquis.
Nec quia Dis comitata foror venisse duobus
Dicitur, admitti debuit illa magis.
Non tibi, non Bacchus (fas sit, bona numina,
verum
Dicere) non tanti debuit esse Ceres.
Aut mihi adhuc, Vermon, sexus male cognitus
iste,
Aut (vates utinam sim tibi falsus ego)
Iratas hyemes, & mistos grandine nimbos
Ista tibi pietas religioque dabit. (50)
Freta Deis quae bella foror, quam saepe mo-
vebit?
Quas intemperies bellua saeva dabit?
Quos sonitus dabit, & furias quas evomet ore?
Natura huic animos addere prava solet.
Quae secum nil fert, minus est incommoda multo:
Imperiosa minus, difficilisque minus.
Obsecro, servitii veteris cum forma redibit,
Servabit cum iam torva leaena fores:
Improbaque ad summas neptis suspensa fenestras
Prospectum eripiet, eripietque diem: (60)
Limine cum virgo pavitans exclusa recedet,
Cum productrices excutientur anus:
Cumque novae foribus clavesque seraeque so-
nabunt,
Quid facies? qualis vita futura tua est?
Namque Cupidineas iam non speraveris alas,
O libertatis proditor ipse tuae?
Errabis totam rigido cum pene per urbem,
Matribus ostentans virginibusque latus:
Illae autem monstrum horrendum multa exec-
tae,
Aedibus extrudent praecipitemque da-
bunt. (70)
Ardebis miser, ardebis distentus, & ignem
Ipse tibi accendet Bacchus, & ipsa Ceres.
Sic vives, Vermon, sic sic moriere: nec ulla
Incolet infernas turpior umbra domos.
Quod si forte Deus fias post fata, Priapo
Contemnet gemino tutior hortus avem.

F O N S.

A R G V M E N T V M.

V. *Rus quoddam exiguum baud longe a Gratianopoli Goveanus comparavit. Ibi cum forte vineam plantaret, fontem purissimum fodiendo vinitores aperuerunt. Hunc postea IOANNES VACHO, quo tum amico familiarissimo Goveanus utebatur, marmore, Goveanus vero carminibus honoraverunt. Versus autem bis sunt.*

Vitree Fons, seu vastifico prolabere Dravo,
Seu vere indigetem credimus esse Deum:

Fons, ubi flaventem crinem Sol tingit, & unde
Ipse sibi liquidas haurit anhelus aquas:
Fons,

Fons, iolum Diana, & Virginei comitatus,
Ignivomos Titan cum regit altus equos:
Fons Musis dilecte novem, fons attlide multa
Garrule, fons vario picta colore comas:
Fons, qui formarum dirimis certamina, cuius
Arbitrium poterant tres subiisse Deae: (10)

Exigui fons ruris honos & gratia: purae
Dives aquae, aestu algens, frigoribusque
tepens:
Hoc ego te titulo, Vacho te marmore donat:
Optat & aeternum munus uterque suum.

P E T R I A R E T I N I E P I T A P H I V M.

A R G V M E N T V M.

VI. ARETINVS, quem vulgus Italorum indigno nomine Divinum vocat, sibi ipse
Italicis versibus Epitaphium conscripsisse fertur. Hoc ipsum Goveanus bisce
expressit.

D. M.

AMarus iacet, o viator, hostis
Vivorum simul atque mortuorum.
Dis convicia nulla dixit: ac se
Excusans, sibi cognitos negavit.

M Y R T V S.

A R G V M E N T V M.

VII. Amicus quidam Poëtae, quem simulato nomine Amyntam vocat, myrtum ab
Amasia dono accepit; hanc, cum harum rerum parum ipse curiosus, Goveanus
vero curiosissimus esset, ei asservandam dedit: qua de causa bosce versus cecinit.

HAnc myrtum Galatea suo donavit Amyntae:
Servandam aeternum tradidit ille mihi.
Ipse loco aprico posui; tua cura, Priape, est,
Ne quis eam attingat, surripiatve malus.
Et tu, Sol, teneram defende a frigore myrtum,
Arboris & custos sis, Venus alma, tuae.
Et vos, frigidulis animae quae leviter alis
Flatis ab Eois Occiduisse plagis,

Insanam ardantis rabiem prohibete Leonis;
Et vos arboribus perniciosa lues, (10)
Setigerae caprae, sacratae parcite myrto,
Vnius, ah, vobis sufficit ira Dei.
Myrte, ego, quo possum, tenui hoc te carmi-
ne dono;
Et precor ingenio sis diuturna meo.

S P I N V S.

A R G V M E N T V M.

VIII. OLIVARIUS MAGNI, Gallicus poëta haud imperitus, Spinum carminibus cele-
bravit, cum autem Goveanus ruri spinum, umbracula praebentem, haberet,
Magni exemplo commotus suum & ipse spinum carminibus celebratum esse voluit.

Spine, decus sylvarum, hortis dignissime Re-
gum,
Quem Magni Aonia Musa rigavit aqua:

Spine, novum princeps ornas qui floribus annum,
Nec Boreae fremitum saevitiamque times:
Pabula maturans apibus, mox poma daturus,

R r r r r r r r 2

Gar-

Garrula quae multo carmine penset avis;
Spine, leves Nymphis umbras & frigora praebens,
Dum quatit argutum rauca cicada latus.
Spine sacer, capris intacte, intacte iuvencis,
Spine in puncta non violate manu: (10)
Quam tibi servata pro virginitate rependet
Mercedem, irato casta Diana Iove?
Spine avium fide hospes, ubi Philomela quotannis
Eoo textum vellere figit opus;
Nil sibi nil natis metuens: procul improbe terra
Est tua sitque precor barbara perfidia.
Spine, ter agrestis quem circum pampinus errat,
Et lateri gaudet consociasse latus.
Conscie nostrorum, spine, atque adiutor amorum,
Quae tibi quae meritis praemia digna feram? (20)
Sta, spine, aeternum, non te Iovis ira nec
imbres,

Non ferrum valeat non abolere dies.
Non te turbo ferat rapidus; tibi semper aquai
Radices circum leniter humor eat.
Semper adorata cantet tibi Phoebus in umbra:
Semper agat festos turba novena choros.
Et foliis parcant, & parcant floribus Austri,
Speque sua miserae non capiantur aves.
Nulla tibi arboribus manus insidiosa vetustis
Myrmidonum tentet, suffodiante pedem. (30)
Quaque pates & lenta tibi sparguntur in orbem
Brachia, versicolor vestiat umbra solum.
Magna mei memoret Truchi te Musa, Maronis
Proxima carminibus, an meliora facit?
Te cithara insignis dicat Mondoreus aurea:
Sic vives saeclis innumerabilibus.
Stirps, quae grandiloquis feritur coliturque
Poëtis,
Cui de Pierio fonte bibuntur aquae.
Multifida tantum radice ad tartara tendit,
Vmbriferum quantum tollit ad astra caput. (40)

D. M. AEMILII FERRETTI, ICTI.

ARGUMENTVM.

IX. Cum Goveanus Valentiam Allobrogum, iuris docendi causa peteret, Avenionemque civitatem appulisset, Aemilii Ferretti Praeceptoris sepulcrum & lacrymis & hoc carmine donavit.

Si magnorum Heroum animos post fata referret
Astra inter Deus, & radiantia lumina mundi,

Credidit ut vana & tantum non caeca vetustas;
Hospitium Aemilius postquam mortale reliquit,
Non unum terris solem ostendisset Olympus.

D. M. AEMARI RIVALLII, ICTI.

ARGUMENTVM.

X. Aemarus Rivallius ICTus, in Curia Delphinatus Senator integerrimus & doctissimus, Iuris civilis & Allobrogum historiam scripsit. Hinc Goveanus amicus hoc Epitaphium posuit.

RIvalli aeternum Manes, pia numina, Musae
Carminibus celebrate novis: Vos ille sepultas

Ostendit coelo Allobrogum; vos ille senecta
Iam non pars solito, Musae, veneratus honore est.

AD MARGARETAM RIVALLIAM.

ARGUMENTVM.

XI. Margareta Aemari Rivallii uxor admiranda fuit pulcritudinis. Huius formam TRVCHIVS Praeses carminibus elegantissimis celebravit: cuius exemplo ipse etiam Goveanus in eius laudem hos versus scripsit.

FEminei, Margo, sexus nova gloria, rarum
Vincere naturae se cupientis opus:
Cui, precibus quae vix nostris dant singula,
cuncta
Certatim faciles contribuere Dei:

Mortalis si forma tibi pro sorte caduca est,
Et Venere hac forte es conditione minor:
Est etiam, invideat tibi quod Venus aurea, tanto
Materiam vati non placuisse Deam.

A D E A N D E M.

XII.

AVreus Eoīs Titan caput exerit undis,
Aureus Occiduis praecipitatur aquis.
Sic tu, quae rerum nata es pulcherrima, ho-
norem

Hunc tumulo formae, Margaris, usque feres;
Longius & tumulo: nec de tot millibus ulla
Incolet Elysium pulchrior umbra nemus.

D E E A D E M.

XIII.

SI Venerem est animus, quam pingere coepit
Apelles,
Perficere, en Veneris vera tibi effigies.

Se tamen effigie viētam Venus ipsa fatetur,
Excellensque isto nomine damnat opus.

D. M. P A S C H A L I S.

XIV.

CVrriculo vitae e medio Paschalis ad astra
Flexit equos, coelo est meta locata bonis.
Soli illam superis geniti tenuere beatam;

Ne fletu, Allobroges, sollicitate animam:
Ac vixisse putate diu, quorum addere famae
Nil quicquam potuit longior ulla dies.

CL. PASCHALI V. C. innocentiss. Doctiss. Sabaudiae Praesidi,
ANT. GOVEANVS amicus ex officio posuit.

D. M. B R I N O N I S.

XV.

NArcissum pulchri in tumulo ne quaere Brinonis,
Terruit hanc circum tellurem amor ossibus haerens.
Da tumulo lachrymas, florem dabit arida tellus.

O N A N T H R O P V S.

A R G V M E N T V M.

XVI. *Quidam & re & nomine Asinus congestos foeni acervos tenacissime asservabat, futuram annonam cariorem sperans. Is cum foenum Goveano crebier vendere recusasset, nec prece, pretiove commoveri potuisset, hisce versibus ab eo laudatus est. Hos autem ad IOANNEM VACHONIVM misit, qui & ipse iniuriae particeps fuerat.*

Naturae variantis opus nosti, optime Vachon,
Semivirumque asinum, semiasinumque virum.
Forma olli est humana, stupor, vox, sensus
aselli:

Nulla magis genere bellua saeva suo.
Quadrupedes abolere fame parat impius, & quae
Iniuissa irriguis nascitur herba locis,
Vndique congestam cumulis super extruit altis,
Enceladi superos terrificantis opus.

Non prece, non pretio gramen commoverit unum.

Quis tantum in monstro hoc crederet invi-
diā? (10)

Iumenta in stabulis praesepe ad inane revincta
Extremum expectant emaciata diem.
Ad costas alvi fugiunt & tergora sidunt:
Arida vix tenuis contegit ossa cutis.
Villi horrent, genuaque labant, caudaque pre-
hensa

Vix tollas, postquam procubuere semel.
 Iam Vermonis equus, fortis vector plaustrorum:
 Iam mula affinis prodigiosa tui:
 Iam tuus, o Vacho, turpissima bestia mulus,
 Caetera bos, villos auriculasque asinus. (20)
 Iam meus astricto pugno minor arida mandit
 Stramina, sub pedibus quae iacuere diu.
 Mox erit, absunto ut rodat praesepe capistro:
 Hunc habeat rabies perniciosa modum.
 Et tuus, o Areo, mulus scitissimus arcto
 Suspensi fraenum dicit ab ore cadi.
 Mulula Avansonii, crebris quae calcibus auras
 Pulsabat, lertos vix trahit aegra pedes.
 Iam pedibus recipit soleas & ephippia tergo:
 Iam strigilem admitrit, perpetiturque ma-
 num. (30)
 Sessorem neque ferre valet, neque ferre recusat:

Scilicet extremo est condocefacta malo.
 Ruricolae non iam collo dentalia tauri
 Ferre queunt. O, qui respicis ista, Deus,
 Infanos foeni montes, coeloque tremendos,
 Tortis correptos disisce turbinibus:
 Aut rapidis abole flammis, aut imbribus atris
 Corrumpe. Ille autem, sive homo sive as-
 nus,
 Bellua certe impura, amens, caecusque dolore
 Rupibus allidat, comminuatque caput: (40)
 Aut funem sibi de foeno trabe necat ab alta,
 Callis ad infernas rectior iste domos.
 Et vos, quadrupedes, proiectum infame cada-
 ver
 Dente avidae lacerum turpiter ora canis,
 Calcibus insultate, irasque expromite, ne quis
 In vestrum posthac audeat ista genns.

D. M. MICHAELIS GIRESII.

CVm Michaël reperire domum non posset in urbe,
 Successit tumulo infelix, sedemque locavit
 Propter aquas Phlegetontis, & invia tartara Phoebo.

A D B A C C H V M.

A R G V M E N T V M.

XVIII. *In sterili, ingratoque solo Goveanus, renuentibus omnibus, vineam planta-
 verat, & cum praeter spem uvas ex ea collegisset, laetus hos versus scripsit.*

Si quis, Bacche, tuo dubitat de numine,
 nec te
 Adscribit magnis adnumeratque Deis,
 En manifesta fides; uvam miratur arena,

Pampinus in sterili luxuriatque solo.
 Non hominum, non terrarum vis ista: Deorum
 est,
 Naturam imperiis cogere posse novis.

A D C H A R I T V M S I M V L A C H R A.

A R G V M E N T V M.

XIX. *Tabella quaedam Goveano dono data est, in qua Charites depictae erant manu
 Michaëlis Angeli. Picturam autem Goveanus bis versibus interpretatus est.*

TRes sumus: hoc gaudet numero Deus. Ac-
 cipit una,
 Vna dat, & multo cum foenore tertia reddit.
 Forma eadem tribus est, qualem decet esse so-
 rorum:
 Frons hilaris, frons, qua gaudent hominesque
 Deique:
 Aetatis flos ipse, nec ullis defluit annis.
 Nam bene apud memores semper stat gratia
 facti
 Integra, deberi perseveratque relatu:
 Nec castas pudor est cerni sine veste puellas,
 Queis suco sine simplicitas adaperta decori est.

Illa autem e nobis, retro quae averfa tuetur, (10)
 Prosequitur benefacta oculis abeuntia, & haeret
 Semper in obtutu; Euryonis, magnique tonantis
 Progenies sumus, Euphrosyne, Aglaia atque
 Thalia.

Sunt etiam, Veneres uno qui nomine dicunt.
 Nulla etenim nostro sine numine gratia rebus,
 Quas tellus, quas pontus habet, quas lucidus
 aether.

Victrices propter palmae, & largo ubere fon-
 tes,
 Signa, nec officiis vinci, durareque in aevum.

A D

AD STATVAM PACIS.

XX.

NIl Phoebus toto me pulchrius aspicit orbe;
Nil patre, nil nato deformius aspicit idem.

Quodque magis mirum, pater est, & filius idem;
Patre tamen peior natus, natoque nepotes.

AD AMICOS POST PACEM FACTAM INTER
HENRICVM GALL. ET PHILIPPVM HISPAN. REGES.

XXI.

Ad vigila, gravis est oleae sub tegmine somnus:
Nulla magis metuenda suis est fructibus arbor.

Aspice Dulichio lotos gustata palato
Humana in foedas ut verterit ora figuratas.
Ante tibi tecum pax sit, quam pace fruaris.

D. M. CLEMENTIAE VIOLLAE.

XXII.

Qvae formae, quae coniugii laudem attigit omnem,
Ante suum terris rapta Violla diem est.
Credere sit nobis fas, & fas dicere, magnum
Et formam & mores concupisse Iovem:

Ac sibi proterva semper Iunone, Viollam
Vxorem laeto consociasse toro.
Parce hominum sortem, & fata incusare, viator:
Connubio fuerat nata Violla Iovis.

D. M.

XXIII.

Non Rhodope mirata magis, non Ismarus
Orpheo,
Allobroges quam te, Iane diserte, tui.
Non stetit hos intra montes tua gloria, pennis
Altius auratis extulit illa caput.
Iamque aures Regum magnorum implerat, &
omne
Lustrarat Gallum nomen & imperium.
En cursu in medio vitae, virtutis, honorum,

Iniecit longas mors tibi saeva manus.
Nil nostrae pro te lacrymae, nil vota precesque,
Et mixtae precibus nil valuere minae. (10)
Sed qui te in vita nequii retinere, tabellam
Hanc tibi cum multis apposui lacrymis.
Quo tua vel virtus, pietas vel cognita in aevum
Nota sit hoc tristi carminis officio.

IAN. BORELO *Caus. Reg. Patrono ANT. GOVEANVS*
ex officio moerens posuit.

D. M. HENR. VALESII FRAN. REGIS.

XXIV.

Vicerat, & victo pacem concesserat hosti:
Imperi late fines promoverat: orbem
Implebatque suum, fatis cum cessit inquis.

Prisca fides, pietasque, invictaque dextera bello
Visa potens nimium, superi, res Gallica vobis
Henrico permissa diu si sceptrta fuissent.

A L I V D.

XXV.

Nemo tuos, Henrice, annos, Rex maxime
Regum,
Defeat, & lacrymis causas exquirat aniles.

Nulla brevis magnis aetas virtutibus annos
Praeveniat, rapidaque ferantur ad aethera penna.

A L I V D.

XXVI.

Martem indignantem nequicquam, & dira
frementem
Vinxerat, & gemina vincum astrictumque ca-
tena
Nato asservandum Henricus mandaverat; Ille

Impatiens ignominiae, rabiemque, dolosque
Miscet, & haud magnae festo in certamine molis
Henricum extinxisse fuit. Verum artibus istis
Profecit nihil. Actutum graviora scelesto
Vulcani fabricata manu sunt addita vincla:

Ac vincitus quadrupes torta cervice profundo
Truditur infelix barathro , Phoebo invia sub-
ter

(10)

Tartara , quae Phlegeton sumantibus alluit undis;
Sanguineam ne dehinc terris intorqueat hastam,
Securaeque agitent posita formidine gentes.

A L I V D.

XXVII.

Henricum non vis, non casus sustulit: ordo
Sustulit aeternus fatorum: Impleverat orbem

Fama suum; neque erat, quo panderet amplius
alas.

GALLIA IN MORTE HENRICI FRANCORVM REGIS.

XXVIII.

Non tanti pax ulla mihi, connubia tanti
Nulla mihi: Henricum, superi, mihi reddit, vestram
Vobis restituo pacem, bellumque reposco.

IN TRIFONTIVM VACCAEI.

ARGUMENTVM.

XXIX. Guido Vaccaeus, senator in curia Delphinatus rus amoenissimum possidebat
in agro Gratianopolitanorum, cui Io. Truchius Praeses Trifontii a tribus fon-
tibus nomen imposuerat, & in eius laudem versus scripsierat. Eius autem ex-
emplum secutus est Goveanus & hos sequentesque versus cecinit in Trifontii &
fontium laudem.

Fontes, ruris honos parvi, seu melior aér
Rupibus inclusus gelidis, seu Terra, Deorum
Magna parens, seu qui terras circumfluit humor,
Vos genuit, salvete sacri, salvete perennes,
Aeterni, ignoti, vitreae ditissimi aquaï,
Digni auro, digni gemmis & marmore digni.
Sed vobis sit pro gemmis, pro marmore & auro
Divini carmen Truchi: decus addere Reges

Fontibus hoc nequeunt magni: dare caetera
possunt.

Fortunati igitur latices, vos nulla vetustas, (10)
Nulli siccabunt aestus: & cum hauserit olim
Flamma orbem, tamen hoc semper curretis
agello,

Aeternumque loco dabitis per secula nomen
Calliroë, Hyaleque & dicta a frigore Psicho.

DE EODEM.

XXX.

Tres ruri nomen fontes nymphaeque dedere;
Quarum hortos rigat una, rigat molle altera
pratum,
Hortum Calliroë pulchrum, sed pulchrior ipsa,
Inque omnem villae & pecoris Dea sufficit usum.

Nec tantum Cereri Enna placet sua; solus Iac-
chus,

Crēdo, puellarum veritus ludibria, rure
Proripuit sese, & montes successit ad altos.
Hoc divae ruris dominum dignantur honore
Vaccaeum, Musis pectus Phoeboque sacratum.

IOANNI TRVCHIO DE EODEM.

XXXI.

Optime amicorum, Praeses venerande, me-
orum,
Dulce decus vitae praesidiumque meae.
Quae mihi sunt Nymphae, Charites quas acco-
la credit
Rusticus, ipse autem numen utrumque putas.
Esse Baronatus Veneres bonus afferit autor.
Sed neque Vaccaeus fortiter ipse negat.
Ridet & eludit, tantum ne credula coniux
Audiat id, pavitans suppliciterque rogat.
Non audita refert, iurat vidisse, sequique

Conantem tardos destituisse pedes. (10)
Tum podagrae mala multa suae dixisse vigentem,
Credibile est, risum non tenuisse Deas.
Nec nova res. Venus Anchisen, Venus arsit
Adonim:

Pastorem Phoebi deperiitque foror.
Haec amor in superos edit ludibria, & audet:
Iusque sibi in magnos vindicat omne Deos.
Illa fidem supra res & divina, maritum
Tres fortem Veneres vincere posse domi.

F I N I S

CARMINVM ANT. GOVEANI.

INDEX.

I N D E X.

LIB. I. EPIGR. ED. PR.

1. Ad Catharinam Bofremontanam.
2. Ad Libellum.
3. Ad Andream Goveanum, Fratrem.
4. Ad Ausonium.
5. D. M. Io. Barollae.
6. De pica Io. Crucei Picardi.
7. D. M. Huberti.
8. Ad Amicos.
9. D. M. Lucillae, e Graeco Vetustiss.
10. Ad Arnoldum.
11. De Barlando.
12. Ad Catharin. Bof. e Gallicis Marotti.
13. Ad Susannaeum.
14. Ad Spinetum.
15. Ad Marsium.
16. De Briando Vallio.
17. Ictus amor, e Gr. Theocriti.
18. Ad Iacobum Tevium.
19. Ad Barenum Ciceronianum.
20. Ad Zebedaeum.
21. De Catello, cui nomen Paris.
22. De Ribaldo.
23. Ad Catharinam Bofremontanam.
24. Ad Maximum.
25. Ad Ioannem Bordaeum.
26. E Gallicis Ant. Alacris.
27. Ad Salmonium Macrinum.
28. Ad Ioan. Cruceum.
29. De Rege & Nauta.
30. Ad Medianum.
31. De Afello.
32. E Gallicis Iac. Belnaei.
33. De Monacho.
34. De Carolo & Christophoro Candalleis, fratribus.
35. De puella casta.
36. Ad Catharinam Bofremontanam.
37. Ad Steph. Doletum.
38. De Monacho.
39. Ad Andream Goveanum fratrem.
40. Ad Catharinam Bofremontanam.
41. Ad Nugivendulum.
42. Ad Pragmonem.
43. De Vetula.
44. Ad Iacobum Alenium.
45. De Pimpino.
46. Ad Maximum.
47. Ad Alphasianum.
48. Ad Vulteum.
49. Ad Catharinam Bofremontanam.
50. Ad Ioan. Cruceum.
51. De Fabro.
52. Ad Ioan. Podianum.
53. Ad Catharinam Bofremontanam.
54. D. M. Gabriëlis Tarragae, Medici.
55. Ad Stephanum Doletum.
56. Ad Catharinam Bofremontanam.

57. Ad Lectorem sui Euagorae.
58. Ad Franciscum, Francorum Regem.
59. Ad Zebedaeum.
60. Ad Borbonum.
61. Ad Archipoëtam.
62. D. M. Laurae.
63. Responsum amoris e Gall. Albenatii.
64. Ad Lectorem.

L I B. II.

1. Ad Catharinam Bofremontanam.
2. Ad Lectorem.
3. De virginis pallore e Gall. Ant. Alacris.
4. Falsus Cupido.
5. De Opere Francisci Valleriolae.
6. D. M. Montani Iurisperiti.
7. Ad Iacobum Belnaeum.
8. Ad Mellinum Sangelasium.
9. Ad Lectorem.
10. Ad Doletum.
11. D. M. Ciretti.
12. E Gallicis Marotti.
13. Catharinae Bofr. Epigramma ad Lauram.
14. Ad Ioannem, Lusitaniae Regem.
15. Ad Iac. Belnaeum.
16. Ad Archipoëtam.
17. Dearum invidia.
18. Ad Borbonum.
19. Ad Lectorem.
20. Ad Maronem.
21. Ad Catharinam Bofremontanam.
22. Ad Posthumum.
23. Ad Stephanum Doletum.
24. D. M. Sibyllae Bartiae.
25. Ad Poëtas Gallos.
26. Ad Antonium Arlerium.
27. Ad Ianum Habertum.
28. Ad Catharinam Bofremontanam.
29. De Laurentio Vallensi.
30. D. M. Ioan. Alberti.
31. Ad Anosium.
32. Ad Gilibertum.
33. Ad Catharinam Bofremontanam.
34. De Bassa.
35. Ad Zebedaeum.
36. Ad Lectorem Orationis pro Cresiphonte.
37. D. M. Franciscae Perusiae.
38. Ad Catharinam Bofremontanam.
39. Ad Iacobum Belnaeum.
40. Ad Lectores.

EPIGRAMM. LIB. EDIT. REPETIT.

1. D. Francisco Valesio, Regi Francorum semper Augusto Libellus.
2. Catharinae.

T t t t t t t

3. Li-

3. Libello.
 4. Rodorico Fernando, Ioannis Lusitaniae Regis Legato Sanctiss.
 5. Andréae Goveano fratri.
 6. Ausonio, Poëtae Burdigalensi.
 7. D. M. Guidonis Rangonii.
 8. Amicis.
 9. Sebastiano Gryphio Libellus.
 10. Lienorae Reginae Francorum Maximae.
 11. D. M. Barollae, Senatoris Burdigalensis.
 12. Carolo Candelabrio.
 13. D. M. Lucillae.
 14. De Pinasso.
 15. Catharinae.
 16. Arnoldo Lucio.
 17. D. M. Aldi Manutii Romani.
 18. Marsio.
 19. Huberto Sufannaeo.
 20. D. M. Ciretti, Senatoris Burdigalensis.
 21. Io. Cruceo.
 22. D. Margaritae Valesiae, reginae Navarrum Max.
 23. Iacobo Tevio.
 24. Catello, cui nomen Paris.
 25. Philaeno.
 26. Zoilo.
 27. Martiali Goveano fratri.
 28. Baccho.
 29. D. M. Antonii Goveani, avi opt. atque meritiss.
 30. Libello.
 31. Venus e Gal. Ant. Alacris.
 32. Claudioe Belnaeae Venus.
 33. Ioanni Michaëli.
 34. Io. Cruceo.
 35. Ioanni Albenatio.
 36. Aemylio Ferreto Libellus.
 37. Catharinae.
 38. Posthumo.
 39. Ioanni Romano Cremonensi Gasalino Majoritano.
 40. Stephano Doleto.
 41. Blanchae Duraeae, Iacobi Reginaldi uxori integrerrimae.
 42. Hieronimo Sorino.
 43. D. M. Thomae Mori.
 44. Nauta.
 45. Andreae Goveano, fratri.
 46. Lectori Libellus.
 47. Libello.
 48. Phaedro.
 49. Sancto Amanti, Equiti Hierosolymitano meritiss.
 50. Maximo.
 51. Catharinae.
 52. Martino Ferrerio.
 53. D. M. Laurae.
 54. Aemylio Ferretto.
 55. Catharinae.
 56. D. M. Gabriëlis Tarragae Medici.
 57. Iacobo Belnaeo.
 58. D. Io. Regi Lusitaniae Maximo.
 59. Memoriae Sempiternae.
 60. Archipoëta.
 61. Responsum amoris, e Gal. Io. Albenatii.
 62. Sebastiano Gryphio.
 63. Iacobo Belnaeo.
 64. Falsus Cupido.
 65. Iacobo Reginaldo Alenio.
 66. Virginis pallor, e Gall. Ant. Alacris.
 67. D. M. Io. Montani Iurisper.
 68. Petro Alvaro.
 69. Cupidini.
 70. Corporis & animi in morbo contentio; e Gall. Clem. Marotti.
 71. Clementi Marotto.
 72. Clytemnestra Oresti; e Graecis.
 73. Petro Castellano Episcopo Libellus.
 74. Catharinae.
 75. Hugoni Sallelio.
 76. Iacobo Tevio.
 77. D. M. Pomp. Trivultii.
 78. D. M. Sibyllae Barciae.
 79. Antonio Arlerio.
 80. Iano Haberto.
 81. Ioanni Albenatio.
 82. D. M. Io. Alberti Reolani.
 83. Fundano.
 84. Clario.
 85. Iacobo Belnaeo
 86. Bassa.
 87. D. M. Franciscae Perusiae.
 88. Carolo Marthano.
 89. Iacobo Belnaeo.
 90. Francisco Mellio.
 91. Infantio.
 92. Sancto Amanti, Equiti Hierosolymitano meritissimo.
 93. Iul. Caesari Scaligero.
 94. Memoriae Sempiternae.
 95. Hecuba, e Graecis.
 96. Catharinae.
 97. Bavio.
 98. Benedicto Crasso.
 99. Libello.
 100. Lectoribus Libellus.

E P I S T O L A E.

1. Goveanus Catharinae.
2. Catharina Goveano.
3. Goveanus Catharinae.
4. Goveanus Catharinae.

V E R S V S.

1. Adonis.
2. Genethliacum Manfredi Filii.
3. Ad Vermontem.
4. Ad Eundem.

5. Fons.

5. Fons.
6. Petri Aretini Epitaphium.
7. Myrtus.
8. Spinus.
9. D. M. Aemilii Ferretti.
10. D. M. Aemari Rivallii.
11. Ad Margaretam Rivalliam.
12. Ad Eandem.
13. De Eadem.
14. D. M. Paschalis, Sabaudiae Praesidis.
15. D. M. Brinonis.
16. Onanthropus.
17. D. M. Michaëlis Giresii.
18. Ad Bacchum.
19. Ad Charitum Simulachra.
20. Ad Statuam Pacis.
21. Ad amicos post pacem factam inter Henricum Galliarum, & Philippum Hispan. Reges.
22. D. M. Clementiae Viollae.
23. D. M. Ian. Boreli.
24. D. M. Henrici Valesii Franc. Regis.
25. Aliud.
26. Aliud.
27. Aliud.
28. Gallia in morte Henrici Francorum Regis.
29. In Trifontium Vaccae.
30. De eodem.
31. Ioanni Truchio de eodem.



117

118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
999
1000

P E T R I R A M I

V E R O M A N D V I

DIALECTICAE INSTITVTIONES,

A D

CELEBERRIMAM, ET ILLVSTRISSIMAM

LVTETIAE PARISIORVM

ACADEMIAM.

І М А Я І Я Т Е

І В Д И А М О Я З В

DIALECTICAE INSTITUTIONES.

Д. А

CEREBERRIMAM ET ILLUSTRISIMAM

LITERATÆ PARISIORUM

ACADEMIA

P E T R I R A M I
V E R O M A N D V I
DIALECTICAE INSTITUTIONES,

A D

CELEBERRIMAM, ET ILLVSTRISSIMAM
LVTETIAE PARISIORVM
ACADEMIAM.



Tinam possis, ô doctrinarum, virtutumque omnium parens ACADEMIA, tam multos annos beatissima florere, quam multis singularis gloria tua digna est, & ego preciosissimae laudis huius honori tam libera-
liter inservire, quam libenter, & studiose velim: fieret profecto, ut omnes annos omnis generis nobilitate floreres, & in liberalissimam studiorum meorum parentem, si non officiosissimus, certe non negligentissimus omnium, nec ingratissimus iudicarer. Atque iam optati, votique mei partem non dubia testificatione polliceri tibi possum: parrem nulla inertia deterritus, nulloque animi languore debilitatus desperare non debo. Etenim quo certioris autoritatis argumento gratissimam aetatum omnium vitam augurari tibi possum, quam quod omnium scientiarum laudes, omniumque ingeniorum virtutes una in familia complexa es? An est quisquam, qui hoc ignoret, cum hanc celsissimam, nobilissimamque virtutis, & sapientiae sedem diligenter aspicerit: non videat in tanta rerum optimarum ubertate alios divino quodam Christianae pietatis, & religionis amore ad sacrosanctum Christi Euangelium profitendum, praedicandumque rapi? alios ad hominum vitae, salutisque defensionem procreatos ad medicinae studium duci? alios sanctissima, pulcherrimaque potentium cum humilibus, mediocrium cum utrisque concordia commotos legum, iurisque maximas molestias perpeti? alios mirabilium rerum praestantia, constantiaque delectatos, syderum motus, coelique cursus rimari? alios amplissimae, & ad communem omnium utilitatem comparatae professionis delectatione captos iuventutis institutionem laboriosissime, & vigilansissime tueri? Hae tot, ac tantae laudes alumnae tuae sunt: a quibus exiguum humanae vitae curriculum immensis aeternitatis spatiis propagatur, hinc excellentium virtutes animorum, vel ab ipsis alienissimae doctrinis, im-

mortalem gloriam, & sempiternae vitae fructum sunt assecutae. Itaque non & alienis meritis tantum verae gratiae literae tribuent, & gratis simam, charissimamque matrem despicient: imo vero amabunt, colent, laudabunt, & se fortunatissimas iudicabunt, si quantum immortalitatis habeant, id totum tibi, tuae famae, tuo nomini largiantur; ac vehementer, puto, verebuntur, ut tantae gloriae, tantaeque dignitatis amplitudo possit a doctrinis omnibus immortalitate compensari; statum igitur integerimum, pulcherrimumque perpetuo retinebis, & aequalem temporibus vitam commendatione hominum, ac celebratione clarissimam, florentissimamque deges. Quapropter hac voti parte persoluta, ad reliquam partem nuncupationis aggrediar: ad quam persolvendam animi tibi devovendi materiam gravissimam quidem mihi, nec tamen a splendore tuo prorsus alienam, suscepi; Dialecticae virtutis constituenda labore dico: in quo putavi primum quaerendum, quae vis esset eius rei (quam ratione, & artificio institutam optarem) quae, & quot virtutes essent, & ad quam hominum utilitatem comparatae. Itaque cum universam quandam, & hominum propriam virtutem, rationem, esse iudicarem, qua deos immortales, & seipso, ceteraque omnia cognovissent: qua singulares sibi dotes ingenitas ad orandum, numerandum, metiendum, canendum, & reliquas artium laudes persequendum excitassent: rationis doctrinam omnium rerum cognoscendarum, & ordine constituendarum artificem iudicavi; quo posito, quid melius, propiusve fuit, quam naturam consulere? explicationisque huius primam conformationem ab ea petere? feci, & in praecpta monitiones naturae contuli: *inventionis*, & *iudicii* vias distinxii: inventionis paucos fontes ad naturae imitationem proposui: in iudicio tres gradus separavi: primi partem in Aristoteles scholis turbatissimam, in ordinem redigi: partem ex aliis transtuli; secundum a PLATONE diligentissime traditum adscripsi:

tertium, in eiusdem *Republica* paulo secus indicatum, ad institutum nostrum plenius explicare contendi: exercitationem totius institutionis latioribus spatiis definivi: quod haec pars (ut maxime omnium esset tractanda in studiis, atque exigenda) ita neglecta, desertaque semper fuit. Denique Dialecticae imaginem breviter & succincte, generum, formarumque perpetuis quasi lineamentis adumbrare laboravi: laudes tamen omnes complecti generatim studui: ut aliquando splendenti igne illo (quem *coelestem* vocat PLATON) animae nostrae optima portio ex eodem igne constans, recreata, naturalique luci restituta, & caeterarum rerum, & sui imprimis longe gratissima cognitione perfruatur. Haec altera voti pars est, haec promissi tibi animi est persolutio: vides quid velit, quid conetur, quid appetat: maximam sapientiae tuae gloriam admiratur: huic primos Rami abs te sati, culti, educati, fructus devovet: hanc oblatis industriae primitiis veneratur. O Lutetiae Parisiorum decus, Galliarum solarium, sedem universo hominum generi concessam, templum religionis, aram legum, medicinae portum, ar-

cem ingenuarum disciplinarum, gloriosissimum bonarum, laudandarumque rerum omnium domicilium: huc Indorum gymnosophistae, magi Persarum, vates Chaldaeorum, Graecorum sapientes, sacerdotes Aegyptiorum, omniaque omnium terrarum miracula, huc tres orbis dominae, principesque linguae convenerunt, & commune sibi hospitium domestico usu, & familiari consuetudine fecerunt. Quamobrem (ut novissima coniungam primis, & desiderii mei conclusionem in summam conseram.) Vtinam, o singulare mundi totius ornamentum, tandem floreas, quandiu dignitas tua meruit, & tam gratus sit tibi meus labor, quam cupidus erit tui: nulla aetatis debilitate consenesceres, & in aliquo tuorum loco numerarer: at laudibus tuis nulla posteritas finem est allatura, & industriae meae (si nullam virtutem) spem saltem non ingratis tibi fore confido: perpetua igitur felicitate fruere, & animi tibi dediti iucunda me conscientia, consolabor. Atque ut iam animi erga te mei signa appareant, ad instituti munieris expositionem, disputationemque veniam.

P E T R I R A M I V E R O M A N D V I DIALECTICAE INSTITUTIONES.

DIALECTICA virtus est disseundi, quod vi nominis intelligitur: διαλέγεσθαι enim (unde *Dialectica* nominatur) & differere unum, idemque valent, idque est disputare, disceptare, atque omnino ratione uti: quemadmodum SOCRATES cum ALCIBIADE ait: Σωκ. τὸ δὲ διαλέγεσθαι, καὶ τῷ λόγῳ Χρησθαι ταυτόν πει καλεῖς; Α'λκ. πάνυγε. id est, SOCRATES differere, & ratione uti nunquid idem existimas? AL. equidem certe: haec ille. Hoc primum est huius facultatis nomen: Postea vero *Logice*, eadem tamen significacione, dicta est: quibus nominibus Latini contenti, nullum suae linguae proprium quae siverunt: quanquam duo Latinae orationis principes CICERO, FABIVSque velut aliud agentes Latine videntur Dialecticam alter disceptatricem, alter disputatricem nominasse: *Dialecticam* (ait in *Lucullo* CICERO) inventam esse dicitis veri, & falsi quasi disceptatricem, & iudicem: & FABIVS libro secundo cum probare vult, Rheticam esse virtutem, quia Dialectica sit etiam virtus, (ait)

etiam disputatrix virtus erit, adeo de hac (quae speciosior, atque apertior tanto est,) nihil dubitabitur: & libri duodecimi capite secundo, ita haec pars *Dialectica*, sive illam dicere malum disputatricem. Quae quanquam ita sunt, uterque tamen Graeca maluit, & nos quoque cum illis *Dialecticae* & *Logicae* nominantibus pro Latinis licet utamur: sed satis de nomine: partes exequamur. Comparatur igitur Dialectica, sicuti vis artium reliquarum, *natura*, *doctrina*, *exercitatione*: Natura namque differendi principium instituit, institutum doctrina propriis, & congruentibus consiliis instruit, instructum ab arte exercitatio in opus educit, atque absolvit. Hi sunt tres libri ad omnis disciplinae fructum, laudemque necessarii: quorum primum aeternis characteribus in animis nostris Deus Optimus Maximus imprimet; secundum naturae diligens observator imitatis notulis ad aeternarum illarum notarum exemplar effingit: tertium manus, linguaque (quantum, quamque copiosum volunt) amplectuntur. Itaque de tribus Dialecticae partibus prima (cuius dignatas maxima est) terriaque (cuius secunda laus est) sunt in nobis:

bis: altera insita, altera voluntaria; secunda (cui per paululum loci reliquum est) sola extrinsecus a magistris assumenda est: ut nihil homini, nisi peregrinum, ad hanc virtutem percipiendam desit.

Naturalis autem Dialectica, id est, ingenium, ratio, mens, imago parentis omnium rerum Dei, lux denique beatae illius, & aeternae lucis aemula, hominis propria est, cum eoque nascitur. Ideoque simul atque natus homo est, ad rationis usum proprio quodam naturae studio, praestantiore alius atque ardentiore, alius tardiore, atque hebetiore rapitur: & quemadmodum stellae luminis, sic homines rationis omnes sunt participes: sed ut illic aliae sunt aliis clariores radiis, & illustriores, sic inter homines alii sunt ingenio praestantiores aliis, excellentioresque natura; haec differendi est origo, haec naturae est institutio, cuius cursum qui penitus perspicere, & intueri, atque hac optima duce in via sibi monstrata sapienter insistere, atque ingredi potuerit, artem, & doctrinam pulcherrimam efficiet: in hoc igitur uno diligenter elaborandum, & omni cogitatione mentis incumbendum est, ut videamus, quid natura per se praestet, & exhibeat in disputando. Quamobrem ut naturae virtus facilis appareat, selige de tot viventibus hominum millibus (non qui naturae solertia, iudicioque praestent) sed ut magis naturae liberalitatem erga homines admirere, agrestes, & imperitos vinitores, qui artem differendi ne auditione quidem, famaque ullam esse neverint, eosque de consequentis anni fertilitate, atque ubertate interroga, quanta vini copia sit futura, tum ex eorum ingeniis veluti speculis imago naturae resultabit. Attende igitur, quid tales naturae consiliarii facient: primum ut opinor, apud se taciti rationem aliquam excogitabunt, & argumentum invenient, quo quaestioni respondeant: deinde, ubi satis commode cogitaverint, cogitationem non temere, sed via aeratione digestam, partitamque expriment hoc modo fortasse, quo mihi haec experiens, atque interroganti quidam responderunt. Non est (dixerunt) spes ubertatis in tam varia aestatis mutabilitate, ubi modo venti, modo imbres, ac pluviae, rari autem soles extiterunt: at omnes fere aestatis huius dies sine calore maduerunt, vix certe sperari boni quicquam potest; eodem vero, si forte cum ex Gallia in exteram regionem venerint, rogabis quid Lutetia sit, urbis situm in confinio Belgarum, Celtarumque subtiliter, & rotunde concludent, partes membratim distributas persequentur, academiam, ubi gymnasia sunt, insulam, ubi forum, regiaque est: reliquam urbis partem, ubi mercatores, omnisque generis opifices habitant: quod idem longe excellentius in universa rerum cogitatione (si forte, ut veteres illi sine arte ulla

Philosophi, & montium pastores, Poëtrae, maiore aliqua discendi cupiditate capiantur) practicabunt, cum ex rerum cognitarum dispositione, & admiratione authorem tanti operis requirent. Excitat igitur in animis nostris natura (cum disceptationis occasio oblata est) geminos quosdam motus, cum ad inveniendam rei dubiae fidem subtiles, & acutos, tum ad exprimendam, & pro modo numeroque rerum colligandam, atque aestimandam prudentes, & moderatos. Haec certa naturae observatio est, a qua nunquam discedere doctrina, sed tanquam deum sequi debet: egregie enim munere suo perfuncta videbitur, si naturae prudentiam poterit imitari. Quamobrem summa diligentia, ut Apelles Alexandrum picturus, omnes eius partes, partiumque proprietates intueretur: ita monitiones illas humanis ingeniis insitas, atque ingenitas observabit, easque animadversas, & notatas in naturae simillimam tabulam, imaginemque concludet, & differentibus ad imitandum proponet: ut hoc artificio quasi speculo natura formae suae dignitatem perspicere, & si qua macula sit aspersa, delere, atque eluere possit. Atque ita ars (quae discipula naturae prius fuerat) eius magistra quodammodo siet. Nulla enim natura est tam firma, constansque, quin sui cognitione, & virium suarum descriptione firmior, atque constantior: nulla tam languida, & abiecta est, quin adiumento artis acrior, & alacrior effici possit. Sed iam de hac discipula, magistraque dicamus, naturae monita, consiliaque praeceptis artis includamus. De natura itaque sic habeatur: de arte, quae pars altera nostra partitionis est, deinceps nobis est considerandum. In qua pingenda, ut certius progrediamur, exemplar ipsum vivum ante oculos semper habeamus: Atque ut ille noster Apelles caput Alexandri, capit: brachia, brachiorum: artus reliquos omnes artuum similitudine referre: sic nos Dialecticae naturalis virtutes, membra, particulas omnes simillima descriptione sequi, atque imitari pingendo conemur. Est igitur ars *Dialectica* doctrina differendi: in natura vegeta vis est, in arte admonitio, consilium, praceptio sic agendi, ut natura integra, atque incorrupta ageret: docet igitur ars rectas naturae leges: nec errare in differendo patientes vias ostendit. Differitur autem, ac disputatur de quaestione, quaecunque proposita fuerit: atque in ea omnis huius disciplinae facultas occupatur: Nulla enim disputatio esse debet, nec potest de re perspicua atque aperta: nec dubia res ulla nisi differendo probari potest. *Quaestio* igitur est oratio, quae dubiam rem quaerit, atque interrogat: qualis ad omnia praceptionum dialecticarum exempla nobis haec una proponatur, *An homo sit dialecticus*, ut intelligi facilius possit, qua ratione caeteris in rebus dubiis omnibus Dialecti-

ca sit utendum: quaestio partes duae sunt: altera antecedit, altera consequitur: Illa, *minor*, haec, *maior* appelletur: sic quaestio nostra homo *minor*, dialecticus *maior pars* erit, atque ita distingui quaestio, distribuique debet ad usum, commoditatemque doctrinae: quemadmodum mox intelligetur. Quamobrem ubi quaestio posita est, ad eius explicationem doctrinae consiliis utimur: cuius partes ad exemplar illud viventis in homine veritatis (ne ab Apelle nostro recedamus) sunt instituenda. Duæ igitur (quoniam illic par, idemque numerus est) *inventio iudiciumque*: at illic viva sunt omnia, hic picta duntaxat, & imitata. *Artificiosa* itaque erit *inventio* doctrina inveniendi, quo quaestio tractari, exponique possit: quanquam enim inventio pars est doctrinae, non tota doctrina, tamen inopia priorum verborum, alienis, & quod totius est, eo in parte cogimur abuti. Est autem id quo quaestio tractatur, atque exponitur *argumentum nominatum*: quod *arguat*, id est probet rem, ac demonstret: sic *VIRGILIVS*,

Degeneres animos timor arguit.

Cuius inveniendi modi qui naturae sunt, eosdem artis esse necesse est. Itaque cum animus disputando naturaliter incidat in earum rerum de quibus agitur, caussas, effecta, subiecta, adiuncta, dissentanea, caeteraque ab illis orta, pars haec artis iisdem vestigiis insister, & quaestio utramque partem maiorem, & minorem sic intueri iubebit: ut caussae, effecta, omniaque illa naturae consilia promantur. Quamobrem e quaestio extremis, argumentorum species duplices eruentur, principes aliae, aliae a principibus ortae. Primi generis partes quinque sunt: *caussa*, *subiecta*, *adiuncta*, *dissentanea*: secundi novem, *genus*, *species*, *nomen*, *notatio*, *coniugata*, *testimonia*, *comparata*, *divisio*, *definitio*: In principibus argumentis *caussa* prima est, cuius vi aliquid est: eiusque partes sunt quatuor, *finis*, *forma*, *efficiens*, *materia*: *Finis* caussa est, cuius gratia res est, ut hominis finis est diligere Deum tota mente, & proximum sicut seipsum: dialectici differere, & ratione uti: *Forma* caussa est, per quam res unaquaque est, id quod est, eaque a caeteris distinguuntur rebus, ut forma rei, veraque differentia sit idem: ut hominis forma, anima rationis particeps, dialectici forma nulla est uno vocabulo appellata, est tamen nihilominus, ea nempe, quae natura, arte, exercitatione perficitur: sic omnium rerum sua forma erit tum universarum, tum singularum, ut Platonis non anima particeps rationis (est enim generalis ea forma, & communis hominis, non Platonis propria) sed caussarum, effectorum, caeterorumque collecta quaedam differentia, quae in aliud neminem convenire possit: sunt autem mentes hominum in formarum universarum cognitione, tanquam noctuae caligantes in solis spendor: quamvis

enim verissimae, nobilissimaeque caussae sint: tot tamen seculis Philosophorum disputationibus perstreptentes scholae, vix unam hominis formam repererunt: belluarum quaenam esset, nondum sunt assecutae, nisi privatione quadam, quae non quid est (quod formae proprium est) sed quid non est, ostendit: quod *irrationale FABIVS* appellat, ut *rationale*, contrarium. *Proprietas* (quae seorsum tradi solet) formae finitima est: vis enim illa naturae insita, ut in homine *ridendi* vis, in equis *hinniendi*, in lupis *ululandi*, omni, solique subiecto (quemadmodum forma) convenit: sed naturae, ut dixi, insita est, non est ipsa natura: non enim homo est, quia risus, sed quia rationis animal sit particeps.

Caussa efficiens est, caussa a qua res est, cuius distinctio multiplex est: primum in *absolutam*, & *adiuvantem*: caussa efficiens perfecta per se nulla est nostra quaestio: nulla enim caussa sola, ac per se hominem, dialecticumve facit: sed multarum concursu caussarum, uterque efficitur: talis in igne calefaciendi vis est, ignis enim accendere per se potest: adiuvat autem sol, atque efficiendi quaedam socia est causa, ut hominis, pater: dialectici ars, vel exercitatio: nihil enim horum solum hominem, aut dialecticum efficit: sed adiuvat ad efficiendum: deinde *efficiens* appellari solet, quae procreavit, & condidit, quamvis iampridem absit ab effectu: ut hominis, pater: dialectici, praceptor: quo modo architectum *effectorem domus* appellamus: item quae rei statum conservat, ac tuetur: ut hominis efficiens caussa, anima particeps rationis est: dialectici vis naturae, artis, exercitationis: quae caussa a forma (de qua paulo ante) non admodum discrepat. Postremo in efficiente quaeri etiam potest, destinatane sit, & ad certum effectum instituta: ut hominis, & Dialectici propositae causae: pater, anima, natura, ars, exercitatio: an fortuita, & ad effectum suum non comparata: ut hominis procreandi, in alienam regionem patris profectio: Dialectici, ut si quis inambulans, in dialecticos incidat, a quibus praeter spem de tota arte instituatur. Efficientium itaque sit illa triplex tributio, in *absolutam*, & *adiuvantem*: in *procreantem*, & *conservantem*: in *destinatam*, & *fortuitam*.

Materia de caussis ultima superest, ex qua res est: ut hominis materiam corpus hoc continet, cui anima ad vitam coniungitur: dialectici nulla materia est: non enim corporatam rem, ut homo, sed qualitatem significat: Sed de causis satis, quarum cognitio tam naturalis est, ut hominibus natura non viam ad earum cognitionem aperire: sed violentam quandam impulsione afferre videatur; quicquid enim cogitant, commentantur, suscipiunt homines, in hoc primum consilii locum *finis* obtinet, secundum *forma*, tertium *efficiens*, quartum *materia*: quanquam effectus consilio contrarium ordinem

Sequitur; in agendo enim prima materia est: efficiens, secunda: forma, tertia: postrema, finis est: ut si de aedificio quaestio sit, primus occurrat finis, propter quem aedificetur, voluptas, utilitas, dignitas, deinde forma, rotunda, quadrata: tertia de efficiente architecto, postrema de materia, lapidibus, caemento, lignis, ferro cogitatio erit; opus autem a materia ipsa incipit, & finem tandem postremum assequitur. Hic humanae sapientiae fons primus, summusque est omnibus in rebus diligenter excolendus. Nam ut ait Poëta,

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Secundus est *fons inventionis* ex effectis, quae ex illis causis existunt, ut homo, dialecticusque sunt effecta expositarum causarum: sed homo, & dialecticus alio iam ut efficientes causae referri possunt, ut quaeratur non ex quibus causis homo, dialecticusque constent, sed quid efficiant, ut hominis effecta dicimus populum congregare, leges ferre, rempublicam administrare, bellum facere: Dialectici, interpretari, docere, disputare: sic enim praecipit ars, ut rei causae primo videantur, deinde quid ipsa suis causis instructa, faciat. Hic locus suppeditare solet uberrimam differendi copiam, cum denunciatur, quid ex quaue re non solum evenerit, sed impendeat, vel sit eventurum.

Subiecta, adiunctaque sequuntur; subiectum itaque res est suis causis constituta, cui aliae sine necessitate extrinsecus adveniunt, quae *adiuncta* nominantur: ut hominis adiuncta sunt, alia in animo, ut naturalis quedam facultas ad liberalitatem, fortitudinem, temperantiam, vel contraria: alia in corpore, ut pulchritudo, deformitas: alia extra, ut opes, amici, tempus, quo vivit: locus, ubi est: & earum rerum omnium, homo, subiectum est: dialectici adiuncta sunt, molestia ex interpretationis, scriptio- nis, dictionis labore: voluptas ex cognitione rerum, & ocii iucunda oblectatione: horum autem, dialecticus, subiectum est: nihil autem vetat, eandem rem alio, atque alio collatam *subiectum*, atque *adiunctum* nominari: ut color, & calor, hominis adiuncta sunt: collata tamen suis accidentibus, *subiecta* dici possunt. Hic locus rerum suspiciones saepe commovet: & quamvis infirmior sit, atque incertior effectis, causisque: tamen abundantius, & copiosius, & frequentius occurrit: & verisimilibus indiciis, vestigiisque persequendis, vim superiorem proxime consequitur.

Postremus principum argumentorum locus est, e *dissentaneis*: quorum vis latissime patet, & in omni fere disertae orationis laude dominatur. *Dissentaneum* igitur est, quod ab alio diversum sumitur: idque in tribus generibus *contrariorum, repugnantium, disparatorum*: de contrariis primum, & eius partibus dicamus.

Contraria sunt *dissentanea*, quae de eodem

simul affirmari non possunt, certaque conditione dissident unum ab uno: ut bonum, malum: aut summum unum a duobus: ut avaricia, liberalitas, effusio: contrariorum species sunt quatuor, *adversa, privantia, contradicentia, relata; adversa* sunt contraria, quae in eodem rerum genere plurimum differunt, quibusque propositis occurunt tanquam e regione contraria: ut homini adversa bellua est: homo enim belluaque in animalium genere maxime differunt; dialectico nihil est hoc modo contrarium: in adversis quandoque medium quiddam est, ut inter candorem, & nigrorem est rubor: interdum nihil est, ut inter hominem, belluamque.

Privantia sunt *contraria*, habitum, habitusque privationem significantia: ut *doctus, indoctus*: praepositio enim *in*, saepe verbum ea vi privat, quam haberet, si, *in*, praeposita non esset: quandoque *adversum* significat: ut *amicus, inimicus, iustus, iniustus*. Privatio etiam saepe proprio nomine declaratur: ut *mutus, caecus, surdus, pauper*: hominis & dialectici privatio nullo est expressa vocabulo.

Contradicentia sunt *contraria* aientia, negantiaque idem, Idque in simplici, coniunctave sententia, id est, oratione verum, falsumve significante: quam Latini *enunciatum, enunciationem, pronunciatum, pronunciationem, effatum, proloquium* nominant; in simplicibus enunciatis contradictionis modi tres sunt: primus universae ut.

Omnis homo dialecticus est.

Nullus homo dialecticus est: Secundus propriae *Plato dialecticus est.*

Plato dialecticus non est. Tertius mediae ex universa & singulari partibus, ut

Omnis homo dialecticus est.

Aliquis homo dialecticus non est.

In coniunctis proloquiis uniusmodi contradictione est, si coniunctio affirmetur eadem, negeturque, ut

Si homo est, dialecticus est.

Non si homo est, dialecticus est.

Eodemque modo in caeteris coniunctis; ut negatio autem sit, nota negationis pronunciationi universae praeponenda est. In homine, & dialectico contradictione nulla est: est enim perfectae orationis contradictione, non unius nominis. Est vero animadvertisendum, quod nulla contradictione utrumque simul esse vera potest: quamvis in rebus inconstantibus, quaeque sic evenire, & non evenire possunt, universam utrumque simul esse falsam accedit: ut

Omnis homo ambulat.

Nullus homo ambulat. Possunt enim simul aliqui ambulare, aliqui non ambulare: & reliqua contradictionum genera, id est, propria, media, & coniuncta omnia in simili rerum inconstantia nihil futurum partite, definite, distincte verum, falsumve significant, ut

Plato

Plato cras disputabit.

Plato cras non disputabit. Quamvis enim disiunctionis occasione alterutra pars necessario vera sit, aut disputabit, aut non disputabit, dici tamen necessario non potest, pars haec vera, illa falsa est. Itaque si quis me de crastina illa disputatione urgeat, iubebo perendie ad me redire, ut certum aliquid, exploratumque respondeam, secus ad astrologos, & augures dimittam. *Relata sunt contraria*, quae natura sic inter se conseruntur, ut mutuo affectionis respectu cognoscantur, ut pater filius: dominus, servus: homini, & dialectico nihil est ita contrarium.

Repugnantia differentanea sunt, quae de eodem simul affirmari non possunt, & nulla certa lege, nulloque certo numero dissident: ut homini repugnat lapis, arbor, fluvius: dialectico bos, asinus, stipes, atque innumerabilia eiusmodi. *Disparata* dissenterorum minima sunt, possunt enim de eodem simul affirmari: sed ratione tamen dissident: ut homo, & Gallus, vel Italus: *Dialecticus* & *mathematicus*: idem enim homo, & Gallus esse, & dialecticus, mathematicusque potest. *Dissenterorum* locus ex contrariis, & repugnantibus magnas, gravesque contentiones, & probationes exhibet: sed & laudis multo plus habet in amplificationibus, & exornationibus rerum: nullus enim e primis his fontibus nec maiora, nec frequentiora, suppeditat ornamenta dicendi: hinc anthithera sunt illa tam crebra: hinc illae Ciceronis fere propriae, perpetuaeque disiunctiones, *quoniam*, *tamen*, *etsi*, *tamen*, *sed tamen*, similesque: hinc illae discretiones, *non illud*, *sed hoc*: hinc alia innumerabilia fluxerunt. Hi sunt humanae sapientiae primarii fontes, *caussae*, & *effecta*, *subjecta*, & *adiuncta*, *differentanea*: unde oriuntur novem sequentia, *genus*, ex caussis, *species* ex effectis: reliqua sigillatim ex omnibus accipi possunt. *Genus* est communis appellatio, quae de pluribus rebus interroganti quid est, respondetur: ut hominis animal, dialectici, artifex, atque etiam homo, Platonis: dialecticus, huius dialectici genus est. Res ea, de qua genus ita respondeatur: ut hominis, Plato: dialectici, hic dialecticus species est: nihil enim interest species communis, an propria sit appellatio: genus enim, speciesque totius, & partis ratione, non communis, vel propriae significationis qualitate distinguuntur. Genus autem ex causarum loco esse intelliges, si res in eo comprehensas explicabis, ut in animali corporata substantia est, quae materiam significat hominis, tum vivens, sentiensque: quae ad formam hominis pertinent: sic in omni genere caussas speciei certas esse reperies. Quod si genus speciei caussas habet: species certe generis obtinet effectum: ita illud ex caussis, haec ex effectis erit: generis, specieque, ut firma, stabilisque

ratio: illius ad resellendam speciem: huius ad probandum genus, ita rara admodum est. *Nomen* est sua cuiusque rei appellatio: ut homo, dialecticus, certarum vocabula sunt rerum, quas notis illis exprimimus. *Notatio* est nominis interpretatio: quae a Graecis *symbolum*, & *etymologia* nominatur. Si autem nomen (ut in Cratyllo sapienter PLATO disputat) recte, prudenterque sit impositum: declaratio quedam naturae est, sed intexta, atque implicata: quae notatione retexetur, atque explicabitur: ut *homo* ab *humo*, id est, a materia, unde formatus est, nominatur: *dialecticus* a διαλέγεσθαι, ubi non materia, sed reliquae praestantiores caussae significantur: ut dialectici Graecum, quam hominis Latinum nomen sapientius videatur impositum. Nominis autem usus non tam appareat, quam notationis, quamvis par, vel maior etiam capiatur: sunt enim res omnes suis nominibus familiares, & notae: & nomina (sicut dixi) definitiones quedam sunt: ex quo autem fonte sit nomen, notatio ipsa indicabit. *Coniugata* dicuntur, quae ab uno orta principio varie commutantur: ut *homo*, *humanus*, *humanitas*, *humanitus*, *humane*, *humaniter*: διαλέγομαι, *dialectica*, *dialecticus*, *dialectice*. Interdum coniugata verbis alienis exprimuntur: ut a *virtute* non *virtuosus* (Latina enim oratio flexionem illam non probavit,) sed *probus*, aut *bonus* dicitur. Coniugata vero ex subiectis fere sunt, & adiunctis, quorum usus et si paulo rarius, habet tamen & suavitatis, & acrimoniae plurimum. *Testimonium* est argumentum, quod ab eo sumitur, quod Deus, hominem dixerit, senseritve: qualia sunt tum divina in sacris monumentis, quae vel a Deo ipso eduntur, vel ab hominibus, aliisve naturis instinctu divino, afflatusque funduntur: tum humana, quales sunt Philosophorum, Poëtarum, Oratorum, clarorum virorum nobiles sententiae, qualesque sunt in iudiciis, iureiurando, secusve affirmando *confirmationes* dictae, aut scriptae: sic nostrae quaestionis testimonium erit, hominem sanctae literae testantur ad similitudinem Dei, mentis, rationisque participem procreatrum. PLATO ait *hominem dialecticum nasci*, *idemque esse dialecticus*, & *ratione uti*: sumitur testimonium ex adiunctis rei: de cuius usu quid admonendum est, cum infirmitas humana suae naturae, id est, rationis obliterata, nihil fere nisi testimonium atque autoritatem sequatur? quod tum firmum esse debet, cum rationi certae coniunctum videbitur. *Comparata* sunt ea, quae inter se conseruntur, idque modo duplici: *colatio* enim aut est *qualitatis*, aut *quantitatis*: *qualitas* est habitus comparatarum rerum: *quantitas* vis, & quasi potestas quedam. Prioris generis duae sunt partes: nam qualitas eadem est, aut diversa: illic *similitudo*, hic *dissimilitudo* nominatur. *Similitudo* igitur est comparatio rerum

rerum diversarum in eadem qualitate: ut quemadmodum canes ad venandum, equi ad currendum, sic homines ad differendum, ratiocinandumque nati sunt. Est autem interim similitudo brevior sic: ut angeli, ita homines ad rationis usum creati. Interim etiam sola adverbii nota subindicatur ut: homo diale^ctica velut armatus; *dissimilitudo* est comparatio rerum diversarum in diversa qualitate, tanquam dissimilitudo similitudinis sit eversio: ut, non quemadmodum bestiae, sic homines diale^cticae virtutis sunt expertes. *Comparatio* quantitatis triplex est, *maioris*, *paris*, *minoris*: nec propriis vocabulis, ut *similitudo*, *dissimilitudo*que, sed circumscriptione illa appellatur. Primi generis exemplum est: homo deus quidam est, quid mirum si diale^cticus? secundi, homo orator est, cur non & diale^cticus? tertii, bestiis inest quae-dam vis diale^cticae rationis, hominibus non inerit? Comparisonum usus omnium argumentorum longe maximus, frequentissimusque est: in qualitate multo plus est luminis ad illustrandum: in quantitate plus roboris ad impellendum. Similitudines itaque apud Philosophos, & omnes eos, qui familiariter, populariterque docere volunt, principem locum obtinent: hinc AESOPVS in *apologis* (ubi similitudines sunt, quamquam altera parte imperfectae) Philosophiam primus aperuit: hinc Hippocrates tantum similitudini tribuit, ut eam satis esse putaret, ad omnium rerum explicationem: hinc Platonis admirabilis oratio, quia similitudinibus tam facile, tamque perspicue res omnes interpretatur: his argumentis omnis sapientiae praceptor noster Christus, beatam caelestis vitae doctrinam fere semper exposuit; itaque vere mihi dicturus video, ut oculos in corpore, ita similitudines in oratione, partibus omnibus lumen afferre: qui vero movere, & impellere vi orationis audientium animos cupiunt: quantitatis comparisonibus magis utuntur: ita sunt oratores in maiorum, minorum, parium argumentis frequentius: quia sibi viribus auferendum, tollendumque auditoris animum proponunt: nisi quieta docendi perspicuitate adduci posse videatur. *Distributio* sequitur totius in partes, cuius modi quatuor sunt, ex primis quatuor fontibus accepti. Primus igitur ex caussis esto, qualis generis est in species, ut animalium aliud homo, aliud bellua: animal enim, quod distribuitur, continet caussas (etsi non omnes) subjectarum partium, & partes totius effecta quaedam sunt; nihil vero interest, an genus in species, an in earum formas, ac differentias distribuatur: ut animalium aliud particeps, aliud expers est rationis; utrobique enim species sunt, sed hic definitae, & expositae: illic nudae, ac simplices: totum enim in partibus intelligitur, tanquam si dices animalium, aliud est animal rationis particeps, aliud animal est expers ratio-

nis: ita quandocunque genus in species vel universas, ut ante, vel singulares, ut hominis aliis Plato, alias Cicero, &c. distribuetur, totum ex caussis erit, partes ex effectis: sed & hic distribuendi modus latius etiam patet, nec causae in effecta distributio semper genus, & species haber, ut hominum alii domi inter cives pacem, concordiamque tuentur, alii foris cum hostibus bella gerunt: alii quendam medium vitae modum sequuntur: homo hic caussa efficiens in sua distribuitur effecta: ut diale^cticus etiam distribui potest hoc modo, diale^cticorum alii in explicandis, & interpretandis authoribus occupantur: alii absentibus, ac posteris res utilles, & necessarias scriptis commendant: alii praesentes viva voce docent, atque instituunt. Secundus distribuendi modus ex effectis est: ut hominis duae partes, anima particeps rationis, & corpus: diale^ctici tres, natura, ars, exercitatio; partes enim sunt caussae, totum, effectus. Potest & hic modus esse, ubi membra illa non sint: ut si dicas, imaginum aliae sunt a pictoribus expressae: aliae sunt a statuariis effectae; tertius est modus, subiecti in *adiuncta*: ut hominum, alii boni, alii mali, alii neutri; diale^cticorum alii Graeci, alii Latini, alii barbari; totum enim subiectum est, partes adiuncta. Postremus modus est adiuncti in *subiecta*, ut aegrotantium aliud homo, aliud bellua: in quibus duobus postremis modis totum in partibus (ut in primo genere) est accipendum; distributionis autem modi nec plures, nec pauciores sunt: quamquam disparatum in *disparata* dividitur: sed hic modus omnes expositos amplectitur, nec novi quicquam efficit. *Contraria* vero, atque *repugnantia* distributionem non sustinent: neque enim album in nigrum, nec dives in pauperem, nec arbor in lapidem distribuitur: quamquam partes omnis distributionis inter se aliquo genere sunt dissentaneae. Animadvertendum vero est, ex quatuor traditis distribuendi modis duos esse principes, alterum *ex caussis*, alterum *ex effectis*: atque illum, cum genus in species, earumve formas, ubi *divisio*: hunc, cum totum integrum, solidumque in sua membra distribuitur, ubi *partitio* proprie nominatur. Reliqua genera nec totum, nec partes veras habent: sed ex adiunctione quadam, totum enim a partibus, & partes a toto illic separari possunt: quod a totius, & partium natura est alienum; incident tamen tales aliquando rerum tributiones, & ponderis interdum habent, ac momenti plurimum. In omnibus porro modis gemina probationis vis est: tum enim ex toto partes, tum ex partibus totum confirmatur.

Definitio, est oratio, quae (quod quaeritur) proprie, ac breviter explicat, quid sit, nomen ipsum *definitionis* a mensibus agrorum translatum est: quoniam ut illic certis finibus, & terminis agri: ita hic vis, naturaque rerum suis

partibus comprehenditur. Idemque est rei *expositio*, *declaratio*, *demonstratio*, *interpretatio*, *enarratio*, atque *definitio*: quanquam hoc postremo in huius argumenti significatione fere solo utimur; sumitur igitur definitio rei, quemadmodum distributio, ex omnibus argumentorum partibus: sed verissima, brevissimaque ex caussis: quae genere, formaque seu differentia comprehenditur: ut hominis definitio, animal rationis particeps: in animali enim natura corporata est, quae est hominis materia, & vivendi, sentiendique vis, quae duae virtutes animae nostrae sunt caussae: deinde ex rationis participe postrema virtus ratiocinandi additur: quae & forma, & efficiens, & finis hominis est, si Physicis creditur, affirmantibus, in re naturali eandem rem triplici genere caussam esse, formam, efficiensem, finem: anima siquidem rationis particeps, cum forma sit hominis, est etiam efficiens: quia statum hominis tuetur, hominem licet non procrearet, attamen quod nunc est, efficit: & finis est itidem in eadem comprehensus, rationis usus, qui amori Dei (quem ante fecimus finem hominis) congruit; sic dialecticus differendi peritus definitur: & caussae eius omnes genere, formaque comprehenduntur; haec definitionis via prima est; verum quia vix, ac ne vix quidem omnium caussarum cognitio in hominem cadit: necessaria, proximaque optimae via definiendi fuerit, ex caeteris argumentis res communes colligere, earumque frequentia perspicuam proprietatem aliquam efficeri: quae in nullam rem aliam transferri possit; sic homo definietur, a quo conditae sint urbes, institutae res publicae, latae leges, agri exculti, res innumerabiles inventae: dialecticus, qui rationis lumine res occultas investigavit, disputationes, atque artes omnes via, ac ratione disponuit, atque aliis cognoscendas tradidit; est autem perspicuitatis potius in definiendo, quam brevitatis habenda ratio: non enim gratia memoriae solum, quam brevitas adiuvat, sed multo magis intelligentiae, quam perspicuitas efficit, definiendi via quaesita est. Ac certe tenendum illud est in artibus tradendis, definitiones illas duobus vocabulis institutas, magis esse comprehensiones breves, quam faciles explicaciones: & similes esse clausis calathis, qui nisi aperiantur, non videoas quid sit intus inclusum: ita nisi caussae (quae genere, formaque sunt inclusae) detegantur, definitio non sit, sed obscuratio futura; duabus proximis (sicut caeteris) argumentorum generibus non aliquando, sed semper, omninoque fere utimur: omnes enim artes, omnesque perpetuae rerum, continentesque disputationes in definitionibus, divisionibusque positae sunt: ex his amplificandi copia uberrima, sed praecipue ex distributione sumitur, non solum cum membra, totumque, sed cum genus universum, speciesque omnes persequi-

mur. Haec inveniendae fidei genera sunt omnia: ut enim cogitationes hominis unum in locum subducantur, quae sunt, fuerunt, erunt: nulla reperiatur unquam, quae ad propositum explicandum valeat: quae non sit eius vel causa, vel effectum, vel subiectum, vel adiunctum, vel dissentaneum: nec quicquam excogitari possit, quod cum rem ex illis primis quinque fontibus hauserit: & se ratione quadam distinxerit: non in aliquem locum novem postremorum argumentorum referatur, *generis*, *speciei*, *nominis*, *notationis*, *coniugatorum*, *testimonii*, *comparisonis*, *distributionis*, *definitionis*. Quamobrem pars altera Dialeticae naturalis proposita nobis ad imitandum legitimis (ut spero) propriisque si non coloribus expolita, certe lineamentis adumbrata sic erit.

IUDICIVM sequitur, pars artis maxima, nobilissimaque: hac virtute mens hominum naturae suae celsitudinem praecipue agnoscit: quavis enim peregrino corporis ergastulo vincita tenetur: seipsam tamen aestimatione, iudicioque rerum solvit, liberatque: verum quid sit in rebus, falsumque lumine virtutis huius apposito dispicit: res obscurissimas, & turbatissimas ordine clarissimo componit: & quam proxime fas est, ad illam caelestis patris sapientiam accedit. Summa igitur in tam excellentis virtutis expositione diligentia nobis adhibenda est; itaque partis huius doctrina (sicut inventionis) ad naturae consilium referenda est, ut id praeceps instituamus, quod naturale iudicium praestiterit: quicquid enim praecipiunt artes, id non solum verum, sed multo magis utile, & ad natum aptum, congruumque esse debet. Itaque quoniam duce natura dispositionem quandam rerum inventarum sequimur in iudicando: iudicium ab eius imitatione definiamus, doctrinam inventas collocandi, & ea collocatione de re proposita iudicandi: quae certe doctrina itidem memoriae (si tamen eius esse disciplina ulla potest) verissima, certissimaque doctrina est: ut una eademque sit institutio duarum maximarum animi virtutum, iudicii, & memoriae. Itaque cum de iudicio dixero, de memoria (quae in iudicii arte est) etiam dixero; iudicij igitur tres gradus ad eandem naturae matris imitationem optime distinguuntur. De primo nunc agamus, de reliquis suo deinde loco differetur. **Primum** itaque *iudicium* est doctrina unius argumenti firme, constanterque cum quaestione collocandi: unde quaestio ipsa vera, falsave cognoscitur; dispositio autem ipsa, collocatioque *syllogismus* appellatur: nec quicquam *primi iudicii*, & *syllogismi* nomina differunt: nisi quod hoc *solam dispositionem*: illud etiam *dispositionis artem* significat; nihil vero interest, utrum *artem dispositionis*, an *dispositionem artis* exponamus.

Syllogismus igitur (ut dispositio definiatur) est argumenti cum quaestione firma, necessariaque

que collocatio, unde quaestio ipsa concluditur, atque aestimatur: Latine *ratiocinatio a CICERO* nominatur. *αὐλογίζουσι* enim, & *ratiocinor*, eandem rem significant: & utrumque a nummariis rationibus traductum est: ubi quemadmodum boni ratiocinatores addendo, deducendoque vident, quae reliqui summa fiat: ita hic dialectici partibus addendis, subducendisque summam quandam rationis explicant, & complexionem conclusionis efficiunt: ut in quaestio- nis exemplo antea proposito, si argumentum sumas ex forma hominis, sic concludere licebit, cum hoc pacto disponas.

Quidvis particeps rationis, est dialecticum.

Omnis homo est particeps rationis.

Ergo omnis homo est dialecticus.

Vbi vides cum quaestione additum argumentum, deinde facta velut additionis subductione, conclusam esse quaestionem. Syllogismi partes tres sunt, *propositio, assumptio, complexio*. *Propositio* est prima pars syllogismi, in qua disponitur argumentum cum maiore extremo quaestionis: ut in proposito exemplo syllogismi. *Quidvis particeps rationis, est dialecticum.* Vbi cum maiore quaestionis extremo (*dialecticus*) argumentum (*particeps rationis*) collocatum est. *Assumptio* est secunda pars syllogismi, in qua disponitur argumentum cum minore quaestionis extremo, ut

Omnis homo est particeps rationis.

ubi argumentum (*particeps rationis*) cum minore extremo quaestionis (*homo*) collocatum est. *Complexio* est syllogismi pars ultima, ubi quaestionis partes coniunguntur, concludunturque: ut

Omnis igitur homo dialecticus est.

Quaestio enim erat, *an homo esset dialecticus*, quae suis partibus tandem confirmata est, & conclusa. Atque haec syllogismi partitio membrorum est, sequitur deinceps generum divisio. Syllogismus itaque *simplex*, aut *coniunctus* est: *simplex*, cuius omnes partes simplifices sunt enunciations: *coniunctus*, cuius vel omnes, vel aliqua pars est coniuncta pronunciatio, id est multis simplicibus enunciatis composita. Simplicis tres sunt species. In prima argumentum maius extremum quaestionis antecedit: minus consequitur: cuius modi quatuor sunt: duo universi: primus usque quaque, secundus assumptione duntaxat affirmatus.

EXEMPLVM PRIMI.

Quidvis particeps rationis, est dialecticum.

Omnis homo est particeps rationis.

Omnis igitur homo est dialecticus.

EXEMPLVM SECUNDI.

Nihil particeps rationis est expers dialecticae:

Omnis homo est particeps rationis:

Nullus igitur homo est expers dialecticae.

Haec prima sunt tum naturalis, tum artificiosi iudicij lumina ex se se clara, perspicuaque: nihil enim quicquam natura dedit humano iudicio clarissimus, & apertius, quo probari possint. Cum enim videris in hac dispositione totum argumentum in maiore extremo quaestionis, in argumento autem totum minus extremum contineri: statuas necesse est, minus in maiore pariter contineri oportere, ut si dicas,

Tota Gallia est in Europa:

Tota Luteia est in Gallia:

Concludas sic necesse est,

Tota Lutetia in Europa est.

Atque idem aestimabis cum perspicias, argumenti nihil esse in maiore extremo, & in argumento tamen extremum minus totum contineri: quemadmodum si dicas,

Nulla Galliae pars est in Aprica:

Tota autem Lutetia est in Gallia:

Iudicabis ita protinus,

Nulla igitur pars Lutetiae in Aprica est.

Hic autem syllogismi sunt superioribus constantia pares: sed & in sensu etiam iudicium cadunt. Ex his autem universis modis duo singularis conclusionis modi mutata assumptione universa in singularem ducuntur, velut artus e corpore dissecti, ab eisque & lumen, & constantiam mutuantur. Ex primo itaque oritur tertius, & ex secundo quartus.

EXEMPLVM TERTII.

Quidvis particeps rationis, est dialecticum:

Aliquis homo est particeps rationis:

Aliquis igitur homo est dialecticus.

EXEMPLVM QVARTI.

Nihil particeps rationis, est expers dialecticae:

Aliquis homo est particeps rationis:

Aliquis igitur homo non est expers dialecticae.

Secunda species est, in qua argumentum consequitur utrumque quaestionis extrellum: cuius modi quatuor sunt, duo universi, primus assumptione, secundus propositione duntaxat affirmatus.

EXEMPLVM PRIMI.

Nihil expers dialecticae, est particeps rationis:

Omnis homo est particeps rationis:

Nullus igitur homo est expers dialecticae.

EXEMPLVM SECUNDI.

Quidvis expers dialecticae, est expers rationis:

Nullus homo est expers rationis:

Nullus igitur homo est expers dialecticae.

In his duobus concludendi modis naturae lumen, quamvis minus illustre, quam in prima specie,

specie, seipsum tamen intuentibus ostendit, & huiusmodi dispositionem perspectam naturalis assensio sequitur: tanquam si dicas,

Nihil pedis est in capite:

Totus oculus est in capite:

Nihil igitur oculi est in pede. Item:

Totus oculus est in capite:

Nihil pedis est in capite:

Nihil igitur pedis est in oculo.

Est enim & hic, licet in exemplo crassiore, par, & eadem conclusionis ratio. Ex his vero duobus universis modis oriuntur & in hoc genere singulares alii duo modi mutata item assumptione universa in singularem: ex primo enim est tertius, & ex secundo quartus.

EXEMPLVM TERTII.

Nihil expers dialecticae, est particeps rationis:

Aliquis homo est particeps rationis:

Aliquis itaque homo non est expers dialecticae.

EXEMPLVM QVARTI.

Quidvis expers dialecticae, est expers rationis:

Aliquis homo non est expers rationis:

Aliquis igitur homo non est expers dialecticae.

Tertia species est, ubi argumentum antecedit utramque partem quaestionis: cuiusmodi sex sunt, duo praeter conclusionem universi, primus usque quaque, secundus assumptione duntaxat affirmatus.

EXEMPLVM PRIMI.

Quidvis particeps rationis dialecticum est:

Quidvis particeps rationis homo est:

Homo igitur aliquis dialecticus est.

EXEMPLVM SECUNDI.

Nihil particeps rationis, est expers dialecticae:

Quidvis particeps rationis homo est:

Aliquis igitur homo non est expers dialecticae.

In quibus duobus concludendi modis non minus certum est, quam in aliis generibus iudicium; exempla & hic sensui subiecta facilius ostendunt.

Totus oculus est in facie:

Totus oculus est in capite:

Aliquid igitur capitum est in facie. &

Nihil oculi est in fronte:

Totus oculus est in capite:

Aliquid igitur capitum non est in fronte.

Haec enim dispositio licet amplitudine lucis a duobus primis generibus vincatur, est tamen insignis, & iudicio perspicua: atque ex his principibus singulares modi quatuor oriuntur: tertius, & quartus, a primo: quintus, & sextus, a secundo: sed tertius, & quintus, pro-

positione: quartus, & sextus assumptione mutata in singularem.

EXEMPLVM TERTII.

Aliquid particeps rationis, dialecticum est:

Quidvis particeps rationis homo est:

Aliquis igitur homo dialecticus est.

EXEMPLVM QVARTI.

Quidvis particeps rationis dialecticum est:

Aliquid particeps rationis homo est:

Aliquis igitur homo dialecticus est.

EXEMPLVM QVINTI.

Aliquid particeps rationis non est expers dialecticae:

Quidvis particeps rationis est homo:

Aliquis igitur homo non est expers dialecticae.

EXEMPLVM SEXTI.

Nihil particeps rationis est expers dialecticae:

Aliquid particeps rationis est homo:

Aliquis igitur homo non est expers dialecticae.

Licet igitur hic eandem conclusionem tribus modis concludere, primo, tertio, quarto affirmatam: secundo, quinto, sexto negatam. In omni autem specie simplicium syllogismorum proprium proloquium loco singularis esse potest: ut in prima specie,

Quidvis particeps rationis, dialecticum est:

Plato particeps est rationis.

Ergo Plato est dialecticus.

Eodemque modo in secunda, terciisque specie pro singulari proprium enunciatum sumere licebit: quin etiam ex omnibus propriis enunciationibus concludere: uno tantum ex praescriptis legibus observato, ut affirmatio, negatioque ad rationem dispositionis convenient: Ita duo duntaxat erunt in unaquaque specie modi proprii, ut in prima specie.

EXEMPLVM PRIMI.

Iunius suo, & suorum sanguine patriae libertatem peperit:

Brutus erat Iunius.

Brutus igitur suo, & suorum sanguine patriae libertatem peperit.

EXEMPLVM SECUNDI.

Sylla non miseretur civium:

Cornelius est Sylla:

Cornelius igitur non miseretur civium.

In secunda specie,

EXEM-

EXEMPLVM PRIMI.

Ageſilaus non eſt pietus ab Apelle:
Alexander eſt pietus ab Apelle:
Non eſt igitur Alexander Ageſilaus.

EXEMPLVM SECUNDI.

Caesar patriae libertatem tyrannide opprefſit:
*Pompeius patriae libertatem tyrannide non op-
preſſit.*
Pompeius igitur non fuit Caesar.
 In tertia specie,

EXEMPLVM PRIMI.

Cicero eſt parens patriae:
Cicero eſt parens eloquentiae:
*Aliquis itaque parens eloquentiae, eſt parens
patriae.*

EXEMPLVM SECUNDI.

Cato nunquam leges violavit:
Cato autem Romanus fuit:
Aliquis igitur Romanus nunquam leges violavit.

Hi ſunt ſimplicium ſyllogiſmorū modi, tanquam anni ſolis claritate diſtincti: ut enim quovis anni tempore, diem mundo hyeme quidem ſplendidum, vere ſplendiōrem, aestate longe ſplendidiflum ſoles efficiunt: ita hi coniūcnum modi iudicio lumen varium: ac multiplex, tertio quidem genere clarum, ſecundo paulo clarius, primo autem longe clariflum afferunt: & ut ad illuſtrandum cuiusvis diei ſolem ridicule lucerna, ſic ad conſirmandum quemvis horum generum ſyllogiſmum ſtulte probatio quaeratur.

Simplices ſyllogiſmi ſic habent: coniuncti deinceps enarrandi ſunt, & explicandi: quorum species quatuor ſunt, *copulatus*, *relatus*, *connexus*, *diſunctus*; *copulatus*, & *relatus* conformantur legibus ſimplicium, nec diſerunt ab illis diſponendi argumenti ſpecie: ſed partium compositione, quod copulati pars aliqua, vel omnes coniungantur copula (*&*, *que*, *atque*, & ſimilibus) relati vi relationis, in his nominibus inclusae, *is*, *qui*, *talis*, *qualis*, *tantus*, *quantus*, & ſimilibus.

EXEMPLVM COPVLATI.

Omnis viri, foeminaeque dialeſtici ſunt:
Omnis autem homo vir, foeminae eſt:
Omnis igitur homo dialeſticus eſt.

Est autem ſyllogiſmus copulatus ex copulatae pronunciationis negantia, ſed diſuncto ſimilior, quam copulato, nec ad ſimplicium leges iſtitutus: de quo poſt diſunctionem commodius dicetur.

EXEMPLVM RELATI.

Quicunque particeps eſt rationis, idem eſt dialeſticus.

Quicunque eſt homo, eſt particeps rationis:
Quicunque igitur homo eſt, dialeſticus eſt.

Atque ita copulatus, relatusque ſyllogiſmus ſuas leges nullas habent, ſed eaedem ſunt eorum ſpecies, iidemque modi, qui ſimplicium ſyllogiſmorū. *Connexus ſyllogiſmus*, & *diſunctus* propriam diſpoſitioni rationem ſibi ſecerunt, alter conditione, alter diſunctione interpoſita ſimplicis ſyllogiſmi propositionem, & assumptionem ſimul amplectitur: coniungit enim argumentum cum utraque parte quaerionis in eadem pronunciacione. *Connexus* igitur ſyllogiſmus eſt, cuius propositio neceſſariam conſuentiam ex conditione quadam ſignificat, ſenſumque ſuueniūtum connectit: cuius modi quaatuor ſunt, duo universi, id eſt, in omni gene- re propositionis conſtanties, & firmi. Primus quando retinetur antecedens, ut conſequens re- tineatur. Secundus quando tollitur antecedens, ut tollatur conſequens.

EXEMPLVM PRIMI.

Si homo eſt particeps rationis, eſt dialeſticus:
Sed eſt particeps rationis
Eſt igitur dialeſticus.

EXEMPLVM SECUNDI.

*Si homo eſt expers dialeſtice, eſt expers ra-
tionis:*
Non eſt autem expers rationis:
Non eſt igitur expers dialeſtice.

Duo ſingulares modi contrarii ſunt ſuperioribus ex ſola connexa propositione antecedentis negationis, & conſuentis affirmationis conſtanties. Tertius quando tollitur antecedens, ut tollatur conſequens: quartus quando conſequens retinetur, ut antecedens re- tineatur.

EXEMPLVM TERTII.

Si homo non eſt particeps rationis, eſt expers dialeſtice:
Sed eſt particeps rationis:
Non eſt igitur expers dialeſtice.

EXEMPLVM QVARTI.

*Si homo non eſt expers dialeſtice, eſt parti-
cipes rationis:*
Sed eſt particeps rationis:
Non eſt igitur expers dialeſtice.

Tertius itaque modus primo, quartus ſe- cundo adverſus eſt. *Diſunctus ſyllogiſmus* eſt, cuius propositio tametsi verba coniungit, ſen-

sum tamen necessaria repugnatia desiungit, ut unam partem veram esse necesse sit, nec plus una. Huius syllogismi duo sunt modi, primus universus, quando unum tollis, ut reliquum retineas: secundus singularis (qui tantum firmus est in omnium partium propositionis affirmatio-ne) quando unum retines, ut reliquum tollas.

EXEMPLVM PRIMI.

Homo aut rationis expers est, aut dialecticus est:
Non est autem expers rationis:
Est igitur dialecticus. Et,
Homo dialecticus est, aut expers rationis:
Non est autem expers rationis:
Est igitur dialecticus.

EXEMPLI SECUNDI.

Homo particeps est rationis, aut expers dialecticae.
At est particeps rationis:
Non est igitur expers dialecticae: Et,
Homo expers est dialecticae, aut particeps rationis:
Sed est particeps rationis:
Non est igitur expers dialecticae.
Est coniunctionis copulatae negantia ab hoc disiuncto postremo non valde aliena: in qua tantum retinere licet unum, ut reliquum tollas, ut in eodem exemplo
Non & homo non est expers rationis, & expers dialecticae:
Sed non est expers rationis:
Non est igitur expers dialecticae. Et,
Non & homo non est dialecticus, & est particeps rationis:
Sed est particeps rationis:
Ergo est dialecticus.

Principum igitur syllogismorum modi decem sunt, simplicium sex, coniunctorum quatuor: qui omnes quam cum naturali iudicio conspirent consentiantque, una quaestio declarat, quae, aut certe (quod unum idemque valet, ei contraria) aiens aientibus, negans negantibus modis omnibus ex uno eodemque argumen-to est conclusa: exceptis secundo, quartoque secundae speciei modis, in quibus tametsi eadem conclusio quae in aliis, non tamen eodem, sed dissentaneo argumento concluditur. Quamobrem primi iudicij finem faciamus, omnisque veritatis explorandae regulam, syllogismum esse concludamus: qui cum de quaestione rem dubiani, quasi fluxam, & inconstanter materiam: de argumento fidem, veluti formam sumpserit: ex earum tum singulari per partes, tum universa per totum copulatione, propositionae dubitatio-nis statum confirmabit, & qualis sit quaestio verane, an falsa iudicabit.

Primus dialectici iudicij gradus hactenus ex-

positus est: secundus (qui sequitur) *Collocati-onem* tradit, & ordinem multorum, & variorum argumentorum cohaerentium inter se, & perpetua velut catena vincitorum, ad unumque certum finem relatorum: cuius dispositionis partes duae principes sunt, *definitio, distributio*: res enim primum universa definienda, & explananda: deinde in partes diducenda est: tertium membrum in hac collocatione nullum est: quibus de rebus quid vetat *socratem* cum Protarcho, Philoeboque copiosissime disputan-tem audire? Nulla (inquit) est via pulchrior, neque esse potest ea una, quam semper unice di-lexi: at illa me perpetuo fugit, deserit, desti-tuit: Protar. Cedo quænam ista est? Socrat. Quam verbis explicare, haud ita difficile est: usu vero, atque exercitatione consequi, difficillimum: quaecumque enim arte, & via inventa, descripta que sunt: bac in lucem hominibus prodierunt via: animadverte quaequo, quam dico. Protar. Dic ob-secro. Socrat. Donum profecto deorum ad homines (ut mihi quidem videtur) per Prometheus quen-dam una cum clarissimo igne delapsum est: etenim prisci homines nobis praestantiores, diisque pro-pinquiores haec nobis oracula tradiderunt: quod cum ex uno, & multis constent universa, quae aeterna, perpetuaque sunt, in quibus terminata quaedam, & infinita rursus quodammodo vis est comprebensa: unam ideam in unoquoque generum sitam investigare nos oportet: quam cum erimus assecuti, deinceps duas, si modo subsint, perscrutiari: si vero latius id pateat: tres, aut alium quenvis numerum quaerere: & unamquamque ge-neri subiectam speciem rursus eodem modo partiri: donec illud ipsum (quod primo loco definitum, com-prehensumque est) non solum quod unum, multave aut infinita: sed quot, & qualia complectatur: quivis facile, & intelligenter assequi possit: infi-niti autem ideam non prius ad multitudinem adbi-bere: quam quis omnem numerum inter infinitum, & unum illud (quod finitum est) medium cadentem perceperit: tum demum unum quodque eorum (quae in infinitum abeunt) omittere. Dii ergo (ut dissi-mus) hanc nobis investigandi, discendi, docendi viam ostenderunt. Haec ille in Philoebō: ubi etiam docet, quemadmodum observatione contraria doctrinae primo collectae sunt & reper-tae. Iubet igitur Socrates in rebus (quae dis-sipatae sunt, & divulsae) conglutinandis, & certa ratione, (quemadmodum CRASSVS inter-pretatur) constringendis, ut finis primum definiatur, demonstreturque: deinde genera proponantur: generum partes subiiciantur: nec prius illa progressio conquiescat, quam ad in-finitam individuarum partium multitudinem per-venerit. Ita duas ideas, quasi lineas, operis huius, Socratis sermone, alteram ultimam, & supremam: alteram citimam, & infimam: il-lamque termini, & unitatis, hanc multitudinis, & infinitatis Plato designavit; atque utramque

que in descriptione artis propositam esse voluit: ut a summa explicatio instituta ad imam descendet: nec ultra, citraque transiliret: Omnia vero (quae generum partiumve nomina essent) definitionibus (quam vim haberent) explicari, exemplis illustrari saepe alias idem ille ipse magister Plato praecepit: quemadmodum in huius artis explicatione hactenus efficere studi, tum definiendo primum, quid esset Dialectica ars: deinde tribuendo in partes, inventionem, iudiciumque: tnm inventionis fontibus aperientis, & appositione exemplorum declarandis ad extremum: tum iudicii consiliis pari diligentia persequendis in omni genere syllogismorum, consequentiumque reliquorum (in quibus adhuc sumus) varietate, atque praestantia. Ita definitio universae rei praecedet: eiusdem divisio sequetur: in utraque leges inventionis traditae diligenter observandae sunt: ut res ex causis definiatur potius, quam caeteris argumentis: partitio in membra praecedat, si modis pluribus distribui res possit: ut syllogismi tributio prius in ipsa membra: deinde in species facta est: quin aliquando sola partitio erit, ut in sectione corporis humani nulla divisio, sed partitio perpetua est: sic in scientia animae, partes quae *facultates* vocantur, non species eius ostenduntur: ut animae nostrae tres partes vivendi, sentiendi, ratiocinandi: caeterae distributiones subiecti, in adiuncta, contrave adhiberi possunt: sed superiores quoties res suppeditabit, praeponentur: veruntamen praeter inventionis leges in membris hoc etiam providendum diligenter est, ut cum ab expositione unius partis ad consequentis explicationem transibit oratio: non solum ut eodem ordine (quo propositum initio fuerit unumquodque) prosequamur: verum etiam, ut praeteritarum, & consequentium rerum breviter admoneamus: ut (hactenus prima pars nostri sermonis, secunda sequitur;) sic enim clarior oratio rebus in memoria defixis erit: & his transitionibus notati singularum partium fines non aliter auditoris, quam definita certis lapidibus spatia viatoris animum reficient, & recreabunt: in definitione nulla nova praeceptio est; quamobrem secundi iudicii partes duae principes erunt, *definitio*, *distributio*que: caetera (quae his accident) veluti in corona thoros adhiberi oportebit, quae definitiones, divisionesque illustrent, & exornent: & gratiam quandam pari coniunctam lumini praebant: in quo genere singulares species (quae hic *exempla* dicimus) similitudinesque omni laude praestabunt: caetera etiam loco idoneo collocata plurimum valebunt: atque in hac rerum perpetua, & continenti institutione primo iudicio non semper utimur: potest enim ars integra sine ullo syllogismo perfici, atque absolvit: si qua tamen in parte dubitatio ulla fuerit, ad iudicii constantiam syllogismus adhiberi poterit: ut plena dis-

positione res planius, firmiusque doceatur: quo autem syllogismi genere universone, an singulari: aiente, an negante uti necesse sit, quaestio ipsa docebit, quae talis est (si eam confirmes) qualem oportet esse conclusionem: si refellas, nihil admodum interest, quo syllogismo utare: dum modo contra concludas. Atque cum aliquid ad definitiones, divisionesque argumentabimur, argumentationis leges solvi, & relaxari oportebit: non enim syllogismorum perpetuitate colligari oratio, sed variari, distinguique debet: nec a propositione semper ordiri: nec (cum illinc ordiemur) omnia confirmando disputare necesse est: sed interdum (quae satis erunt aperta) nullius approbationis ratione confirmata, ponere: & quod ex his assumitur, efficiturque, relinquere: alioque transfire: saepe etiam non proponere: sed ratione ex vi praetermissae propositionis elicienda, atque assumenda, quod proponendum fuerat explicare: ut puncta argumentorum significantius exprimantur: quam verbosius exponantur. Addetur igitur ista varietatis distinctio, quam veteres (qui hac dialecticae parte vehementer sunt oblectati) non delicatae voluptatis, sed explanatorye facilitatis gratia perpetuam securi sunt: facilior enim via est, quae non singulis rebus cognitionis intentionem remoratur: sed recta ducit ad ea tantum: ad quae discentis animus contendit. Hanc viam (qui docere perspicue volunt) sequuntur: quinetiam Oratores, & Poetae: quanquam utilitatis, & voluptatis gratia multa sibi permittunt: tamen solent tum rei summam proponere, & quodammodo definire: tum distribuere in partes, & persequi (quo distribuerunt) ordine: sed multo diligentius Oratores: quorum omnis oratio quatuor in partes distributa, *exordium*, *narrationem*, *confirmationem*, *perorationem*, nihil aliud, quam hoc secundum iudicium declarat: in exordio facilime (ut ait CICERO) discit auditor, & quid agitur, intelligit: si complectare a principio genus, naturamque caussae: si definias, si dividias: narratio contracta, & astricta confirmatione est: ut tota caussa quodammodo in exordio, & narratione sita sit: confirmatione diducta, & dilatata narratio est: peroratio accedit ad renovandam confirmationis memoriam, & summam rerum conclusionem statuendam: ita Dialectica dispositio non mutatur: quoniam res nil nisi definitur, distribuitur, confirmatur: quae secundi iudicii via est: sed exornationibus amplificatur: quae primo summoque loco frequentiores: sed & reliquo in cursu orationis adhibentur, maxime cum aliquid confirmatum est, aut reprehensum: quamvis enim tota oratio ad fidem quaestionis adhibeat: motus tamen fidei velut adiutor adiungitur: probationes enim efficiunt, ut caussam nostram (quemadmodum ait FABIVS) meliorem esse iudices putent: affectus

fectus praefat, ut etiam velint: sed id, quia volunt, credunt quoque. Historia etsi temporum gradus imitari vult, intra tamen hanc artem commodissime continebitur: & proposita rerum, distributaque summa intelligentius accipietur, & facilius memoriae tradetur: qualis apud Latinos una est FLORI singularis historia. Atque haec primaria secundi iudicii partitio est ex membris huius dispositionis accepta: secundaria quaedam ex adiunctis rerum, personarumque describi potest: rebus enim, personisque accommodari debet omnis oratio. Rerum itaque ut natura duplex est constantium, & aeternarum altera: altera caducarum, & inconstantium: sic orationis vis duplex erit: altera certam scientiam veritatis: altera fidei persuasione afferet: qua de re, ut de maximis fere quibusque bonis, deus ille Philosophorum, Homerusque PLATO sic in *Timaeo* nos admonuit: *quoniam*, inquit, *in omni oratione cum his rebus, de quibus agitur, naturalis quaedam, & germana debet esse cognatio: cum de re stabili, & immutabili disputatur oratio talis sit: qualis sit illa: quae neque redargui, neque convinci potest:* Cum autem ingressa est effecta, & imitata simulachra: bene agi putat, si veri similitudinem consequatur: quantum enim ad id (quod ortum est) aeternitas valet: tantum ad fidem veritas. Erit igitur Platonis sententia iudicii secundi gemina ratio: altera certae, & nonquam fallentis scientiae: altera probabilitatis cuiusdam, atque prudentiae: prioris generis sunt omnes humanae doctrinae, si accurate sunt expositae: constant enim praecepta universis, atque aeternis: secundi quotidianae contentiones hominum in iudiciis, laudationibus, consiliis, caeterisque rerum similium disputationibus: totumque magis est ex inventione, quam ex inventionis dispositione discrimen: nam si res constantes sunt, & aeternae: earum disputatio, explicatioque firmis, perspicuis, necessariis argumentis adiici debet: hic igitur definitiones rerum ex propriis, constantibusque causis: distributiones ex eisdem caussis, & earum immutabilibus effectis, quales species sunt generum, & partes rerum integrarum: sed si res (de quibus agitur) sic & evenire, & non evenire possunt: quibusvis caussis, vel effectis, vel adiunctis, vel dissentaneis contentos nos esse oportebit: ut si non quo volumus, tamen quo possumus progrediamur: nam ut HORATIVS ait,

Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.

Verumtamen leges hae catholicae, perpetuaeque esse non possunt: nam in primo genere saepe cogimur inopia sirmiorum argumentorum, verisimilibus quibusdam rerum notis in definitionibus, & divisionibus uti, ut Physici in elementis explicandis nulla ipsorum caussa, sed adiunctis quantitatum, qualitatumque solis utun-

tur: & in secundo nonnunquam necessaria, & constantia suppetunt: ut in CICERONIS orationibus reperies interdum caussarum genera omnia tractata: ut *septima act.* Cybeae navis & finis, & efficiens, & forma, & materia adhibentur ad probandum eam non precio Verri, sed imperio praesto suis. Itaque una erit in tota praceptione exceptio, quoad eius fieri possit: ut nec in primo genere verisimili, nec in secundo constanti probatione interdictum esse videatur: nec enim hoc secundo iudicio dialecticus tanquam deus, omnes rerum caussas videre ad eventa demonstrandum potest: sed tanquam prudens, & callidus imperator praesentibus castris utetur, & modo caussis eventa: modo eventis, adiunctis, dissentaneis caussas investigabit.

Diximus de rerum varietate: personarum distinctio reliqua est: quae (si semper verissima sequi possemus) non magnopere hoc loco desideraretur: verum dissentium ingenii (quibus ista scribuntur) frequenter accidit, ut opinio cum veritate certet: quae contentio plerunque magnos errores efficit: ad hanc igitur difficultatem explicandam praecepta pauca referamus. Hominum duo genera sunt: alterum ad ingenii libertatem, & veritatis amorem natum liberali, & ingenua institutione expolitum: quod rebus omnibus anteponat veritatem: alterum indoctum, & agreste, plerunque etiam controversum natura, & litigiosum: quod existimat summam esse laudem quovis modo contradicere: & in plana celebrique via maeandros, solitudines, flexiones, diverticula puerilium, & argutularum inepiarum vel in eodem vestigio quaerere, ac persequi: malitique in stulta, pertinacique opinione millies errare: quam modeste, & constanter quid verum sit, exquirere: priori illi hominum generi (cui soli traduntur artes) ratio, veritasque una, non multorum variae opiniones proponantur: conspectam enim veritatem nudam, simplicemque sua sponte amplexabitur. Itaque nullis illi artibus novis opus est: viam rectam monstra: ingredietur, & insistet: alteri autem illi generi perturbatorum & depravatorum ingeniiorum (si tamen veri demonstratio videatur aliquid assequi posse) docentis authoritas plurimum suadet: quam mereri opus est ante omnia prudentiae, scientiae, benevolentiae opinione: sed & ipso orationis genere, quod quo simplicius, constantius, sanctius erit: tanto plus habebit in docendo persuasionis, ac fidei: itaque in via illa perpetua definitionum, divisionumque color aliquis extrinsecus adhibendus erit ex primarum, & universarum rerum explanatione: accurata partium omnium confirmatione: & legitima, perfectaque ratiocinatione: quaestionis (si quid asperius habeat) praeteritio: nre: hanc enim si praeviderit opinioni suae adversam pertinax ille (qui docetur) non aliter

ex-

extimescer, quam qui scalpellum medici, antequam vulnus curetur, aspergit: argumenta itaque saepe ante quaestionem propositam exponentur: ut positis antecedentibus, & approbatis consequentia tutius, & certius offerantur: tales **SOCRATIS** fere sunt orationes contra sophistas differentis; si autem veritatis explicatio prodesse nihil poterit, agitanda sunt contraria: homines enim fere turpia magis fugiunt: quam expetunt honesta: & malorum vituperatione magis terrentur, quam bonorum commendatione excitantur: quamobrem in refutatione inanum, & stultarum opinionum non solum obscurum explanando, anceps ambigui partitione dividendo, vitium captiosae conclusionis indicando, si nihil efficiat, si ab incertis, aut falsis proficiscatur, si tota res initio neque definita, neque deinde distributa sit: non solum inquam, quod vanum, inutile, alienum fuerit, acriter repellendum, sed omnibus machinis exagitantum, vexandum, detestandum erit: caussae a suis principiis repetendae, subiiciendaque ante oculos erunt: & ut occultae, dementes, ridiculae, flagitiosae fuerint: ita manifeste, prudenter, constanter, severe vindicandae, persequendaeque: eventa, quo progrediantur, quantum calamitatis habeant, adiuncta quid publicis, privatisque commodis obsint, summa contentione declarandum: comparanda contraria, & coniunctis rebus adversis dignitate cum infamia: commoditate cum detimento, sapientia cum amentia explanandum: & velut e superiori loco concionandum, ut seipso homines colligant, se suaque diligent, virtutemque ad quam cognoscendam, & amandam nati sunt, amplectantur: si vero quis tam misere, tamque pertinaciter fatuus erit, ut meridiano tempore noctem esse dicat, & claudat manibus oculos, ne solem videat, is nec confirmatione veri commonendus, nec refutatione falsi tentandus erit: frustra enim tam desperato morbo remedia querentur: & desperatis sapienter vetat Hippocrates adhibere medicinam; itaque bona cum venia dimittendus, & Musarum numini, sacro aliquo voto, commendandus: ut aliquando ad mentis sanitatem redeat: quoniam humano remedio tantum malum curari non potest; ex hac igitur ingeniorum, naturarumque varietate si quis Dialecticae diligendus auditor est: primus ille nobis optandus erit, cui nihil sit charius, nihil pulchrius, nihil amabilius veritate. Quamobrem hac modestia, & liberalitate, hac prudentia dialecticus instructus, & ornatus, ut sapiens in republica princeps populum rudem, & inconditum, si forte naectus sit, divisione tribuum, census aestimatione, descriptione centuriarum, & ordinum, bello, pacique decorum, & insignem: ita difficultum quaestionum, & obscurarum cognitionem perspicua, summaque rerum complexione, distributione princi-

pum, & primiarum partium prudenti, & in rebus, & in personis distinctione, & ad eius conditionem propriae interpretationis accommodatione, non solum perceptione, & memoria, sed iudicio, & aestimatione facilem, & illustrem efficiet: ut qua ille patriae dux, & gubernator suis ordinibus composito, & oculis perlustrato populo, civitatis suae copias & vires rectius, ac certius aestimabit: ita dialecticus recta illa, perpetuaque velut acie, res expositas ante oculos subiiciens, unoque obtutu lustrans, atque complectens, de facultate, & virtute rerum constantius, prudentiusque iudicabit. Ista est scientia, cuius laudem Platonicus hospes magnifice, & splendide philosophanti tribuendam arbitratur: unam ideam per multas, singulasque seorsim positas longe, lateque fusam, & manantem, & multas quae diversae inter se sunt extrinsecus ad originis suae caput, & quasi fontem remeantes, & recurrentes cernere: haec artis est cum naturae sapientia, pulcherrima contentio: ista est praestantis, & membris animalibus constantis animalis idea, Socratis commendatione tantopere celebrata: quae non solum perfectam coporis figuram, & statu ram habeat erecto sursum, & elato capite: pedibus apte cadentibus in terram, reliquis artibus ipsis inter se, & universo corpori congruentibus: sed liberali decorae compositionis specie, concinnaque suavitatis, ac dignitatis moderatione ad se spectandum, amandumque moveat, & alliciat.

Postremus supereft dialectici iudicij gradus in perspicienda scientiarum humanarum virtute & ad supremum rerum omnium finem referenda positus, ut laboris humani fructus possit aestimari, & optimus rerum omnium parens, atque author agnosciri: in qua iudicij prudentia eti sua quaedam, & propria sunt instituta, tamen ut secundus gradus a primo, sic tertius a secundo, atque ideo a primo confirmatur: si quis enim tantam rerum magnitudinem animo capere totam simul non possit, ne quid ipsa sibi varietas, ac moles officiat, aciemque mentis amplitudine sua perstringat, primum in brevi ratiocinationis quasi tabella quandam eius imaginem compri met, deinde latius proferet, & complementibus artis integrum, perfectamque formam coloribus exornabit: sic igitur primum ratiocinabitur: quae res opera sempiterna, divinaque sapientiae tanta demonstrant, quanta nec vis, nec potestas humana cogitatione complecti, nedum virtute consequi possit: hae certe non solum in admirationem, cognitionemque Dei libenter homines adducunt, sed ad laudem eius, & religionem pene violenter attrahunt, artes vero, ac doctrinae omnes, quid nisi immensam rerum varietatem (quae ab optimo, maximoque Deo incredibili sapientia conditae sunt, & effectae) intuendo, & admirando persequuntur? omnis igitur

igitur labor, industria, contentio, dignitas, honor literarum, doctrinarumque omnium ad summae illius bonitatis, & aeternae potentiae maiestatem laude, iustitia, pietate complectendam adhortatur: quamobrem cum hanc artium summam Dialectica fecerit, primaque iudicij lege probaverit, secundi iudicij spatiis omnia singulatim diducet, artem unam quandam omnium artium conficiet, atque in his ordine collocatis infinitae divinitatis illius umbras, & imagines spectabit: quod uti facilius intelligi, perspicue possit, fingantur nobis homines in subterraneis, & obscuris antris educati, cervicibus, & cruribus ita devincti, ut in eodem semper esse loco, & ante pedes posita duntaxat intueri cogantur: pone quos a tergo procul ignea solis flamma suspensa sit: inter quam, & vincētos multae sint, & variae affabre, & antiquo artificio factae solis imagines, quarum variae, & multiplices umbrae in adversum (ut par est) longe ante oculos vincētorum facis illius splendore proiiciantur, vincēti nihil praeter umbras videbunt, easque rerum nominibus (si loquuntur) appellabunt: si vero quis eorum vinculis solutus sursum adducatur, & paulatim ad lucis aspectum perferendum exerceatur, non amplius umbras, sed imagines, tandem etiam eodem lampadis illius splendore duce, solem ipsum intentis oculis, & admirabilem in eo rerum magnificentiam magna voluptate conspiciet; posteaquam autem satis commode tantam rerum excellentiam, praestantiamque pviderit, in antrum gradatim, ne a tanto lumine repente in tenebras delapsus offendatur, seipsum referet, ut propinquos, & populares suos miseris vinculis liberet, & in illas quasi beatas insulas adducat; tum enim umbras tantummodo bonorum eos videre dicet, & ad ea quae sola, veraque bona sunt, excitabit; hactenus igitur haec explicandi gratia facta sint; vincētos, umbras, imagines, solem, solisque lucem referamus; totam collationis similitudinem in nobis, in artium studiis, in cognitione coelestis, & divinae veritatis exprimamus: etenim vincētae sunt istae nostrates animae, & speluncis corporum tenebris irretitae, omnibus partibus illaqueatae, nec quicquam nisi subiectas exiguis sensuum fenestrīs umbras intuentur, fax altissimo superne defixa loco, aeternus, & beatus Deus est; splendor inde profectus, rationis humanae lux, & dialectica meditatio; imagines medio interiectae spatio, genera rerum, speciesque disciplinis, & artibus comprehensae: quarum tenues, levissimoque motu nutantes umbrae, sunt haec omnia, quae tangi, audiri, cerni, caeterisque sensibus percipi possunt. Quare agite, ignem hunc ab illa coelesti lampade demissum accendamus, vinculis liberemur, sursum ab his umbrarum tenebris erumpamus, imagines, veritatem meditemur; cumque Philosophia, & sa-

pientiae studium tripertito in Dialecticam, Physicam, Ethicam disciplinam a Philosophis distribuatur, nobis Dialectica dux adhibetur, quae a sensibus mentem, & a consuetudine cogitationem revocet, imagines suo lumine in Physicis, & Ethicis, quinetiam in seipsa primum demonstret.

Principio igitur cum oculorum suorum aciem intenderit, primas sociarum artium Grammaticae, & Rhetoricae virtutes spectabit, atque ab his divini luminis investigandi ducet initium: cum enim Aristarchum, Apollonium Grammaticos, Demosthenem, Ciceronem Oratores, Zenonem, Platonem dialecticos excellentes fuisse audierit: cum se ab inchoatis illis umbris ad aeternas absolutasque ideas extulerit, multo praestantiora omnia excellentioraque agnosceret; admirabitur enim tam paucis literarum generibus infinitam vocum multitudinem comprehendi, comprehensionem singularum tam accurate, tamque diligenter explicari, tam certa consuetudinis observatione, & lege coniungi, tamque ad naturae sensum moderato sono pronunciari? deinde vero longe mirabilius opus aestimabit, omnem rerum varietatem pari dicendi varietate, certisque troporum, figurarum, numerorum formis assequi, humilia summis, mediocria temperate, summa graviter exprimere, audientium mentes omnibus modis tractare, conciliare, alienare, placare, commovere, excitare, remittere, quo velis impellere, unde velis deducere. Sed cum haec omnia Dialectica libenter admirabitur, tum in seipsum conversa vehementius incipiet admirari, & divinae mentis imaginem non divinam non poterit arbitrari: fontes omnium rerum investigandarum definitis spatiis notatos, ac descriptos ostendi; constantissimas iudicandi leges institui, ut hominum nec diligentiam effugere, nec iudicium fallere quicquam possit, atque ab imaginibus si Dialectica tollat oculos altius, quos in illo hominum parente, quantos, quam inenarrabiles, sapientiae thesauros inveniet? hominibus (qui vix minimam beatissimi illius fulgoris scintillam obtinent) concessum est, tam multas res animo complecti, oratione non intelligentibus interpretari: quam multis quamque infinitis partibus in illa divina mente maius atque amplius intelligi necesse est? hae sunt Poëtarum Musae quae patris Iovis (ut ait HESIODYS) magnam atque altam mentem iucundissima voce delectant, canuntque quae sunt, quae erunt, quae fuerunt. Itaque cum hos clarissimos divini luminis radios Dialectica pviderit, totum hoc orationis, & rationis instrumentum, quinetiam singulares hominum mentes, id est, imagines, atque umbras multo perfectiore, & pleniore intelligentia pervidebit; itaque cum in hoc rationis, & orationis instrumento clarissimos divini luminis radios Dialectica deprehenderit, tum se ad singulare

lares hominum mentes, id est radiorum illorum micantes igniculos referet, & umbras illius aeternae veritatis in suis operibus multo perfectius, & plenius agnosceret; atque hoc introitu ad caetera patesfacto, hac eadem via, in Physicis rebus impressa veritatis illius vestigia persequetur; nihil enim fere est, quod oculis, quod auribus, quod caeteris sensibus in singulis naturis cognosci quodammodo non possit; at cum naturam materia, formaque constantem, naturaeque partes, tum principes, terram, aquam, aërem, ignem: coelum (si forte quid aliud a quatuor primis illis corporibus putabit) tum ex his ortas seu stolidas, vitaque carentes lapides, metalla, colores, ventos, tempestates: seu viventes, animatasque stirpes, belluas, homines, earumque rerum omnium distincta genera, partesque: cum haec inquam, oculis suis subiecerit, & imagines istas viderit: si se ad umbras forte referet, an existimabit tam praeclarum, tamque mirabile opificium (quod quanto consilio confessum sit, nullum hominis consilium possit asseQUI) prudentia nulla constare? etenim quid singularis universitatis pulchritudo, quid terra undique aequabiliter conglobata, vestita floribus, fontibus irrigua, infinitis animantium generibus culta, & habitata: quid mare partibus omnibus in terram vergens, eamque amice complectens, & magno ditionis suae iure terrestrium animantium saluti cedens, insulis varium, littoribus amoenum, innumerabili piscium multitudine reservatum: quid terrae, marique continuatus aëris, tum concretus in nubes, & contractus, unde imbre, frigora, tonitrua, grandines: tum coeli ardore tenui temperatus, unde salutaris, & vitalis spiritus animantibus praebetur; quid aërem complexus aether igneos illos aeternorum lumen oculos incendens, suum retinens ardorem tenuem, & summa caloris temperie moderatum: quid inquam, haec mundi principia, nonne praepotentis Dei, id est, authoris, & parentis sui bonitatem, prudentiam, sapientiam in his imaginibus ostentant, & quanta significatione possunt, praedicant? quid (ut caetera ex his effecta praetermittam) corporis humani fabrica, quid e coeli regione delapsus hic animus, quo loquimur, disputamus, ratiocinamur, temporum praeteritorum cum praesentibus, & praesentium cum futuris, & omnium inter se collatione dii quidam mortales esse possumus: quid, inquam, harum rerum cognitio non hominum cogitationes extollit? non tantarum patrem rerum animo completi, eiusque sanctissimum numen, pia, religiosaque veneratione mentis adorare cogit? Hic nostri MARONIS est ille spiritus, illaque mens: de qua sic in *Aeneide*,

Principio coelum, ac terras, camposque liquentes,

*Lucentemque globum lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit: totamque infusa per artus*

*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:
Inde hominum pecudumque genus, vitaque volantum:
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.*

Hic Platonicus mundi est animus, haec Stoica providentia est, procurans coelestia maxime, deinde in terris ea, quae pertinent ad homines; ab hac igitur tantarum rerum admiratione, & contemplatione cum Dialectica ad imagines, atque umbras revertetur, quibus oculis, quam acutis, quam lynceis multa deprehendet, quae prius ignota praeterierat: age vero Physicis regionibus ingentibus peragratiss eadem lux Dialectica perfectiores imagines perscrutetur: Mathematicas artes ingrediatur: quas pro quantitatis natura distributas, Arithmeticam discretam: Geometriam continuae principes videt: hae nanque postea Astronomiam, Musicamque pepererunt: constantes enim coeli cursus, & aequabiles admiratae, Geometria immensam coeli vastitatem certis locorum intervallis terminando: Arithmeticam dimensos spatiis illis motus numeris definiendo, Astronomiam: mox inde carminis gratia, cantusque voluptate commotae Arithmeticam sonorum differentias addendo, subducendo, partiendo, multiplicando, conferendo, Geometria intervalla distinguendo, tempora metiendo, Musicam genuerunt: itaque cum has disciplinas lumine suo Dialectica lustraverit, quanto iam plenius naturalium principia rerum, & umbrarum illarum causae cernentur? quanto iam longius a sensibus cogitationes abstrahentur, & imagines celestis sapientia proprius aspicientur? Deique opera in illis umbris, eiusque maiestas in his imaginibus uberior agnosceret? Arithmeticam enim primis numerorum notitiis sibi divinitus insitis ornata, non minus illustrem ad infinitam rerum confusionem distingendam, & varietatem comparandam, explicationem habet: quam ad aciem mentis acuendam, & ad divini solis aspectum convertendam, suavem, & nobilem intelligentiam, Geometria, cum mentem ab his crassis, concretisque corporibus in intimos animi, secretosque recessus abducit: tum naturae formas, species, situs, magnitudines, linea-menta, singulari artificio, scientiaque certissima demonstrat; Astronomia deorum domicilium complexa, effectrices caeterarum rerum caussas attulit, hinc nascendi, moriendique vicissitudines esse docuit: hinc commutationes temporum quadripertitas ad maturitatem frugum, & temperationem corporum aptas deduxit: hinc etiam caereas animorum nostrorum species formatas, & impressas agnovit: hinc naturarum omnium (quae gignuntur, & intereunt) principia, & caussas accipit: itaque cum caetera, tum hoc maxime praedicabile, & gloriandum Dei omnipotentis opus mirabiliter aperuit, & tanti artificis

tificis industriam in hoc uno opere contemplandam proposuit: Musica (ut Platonii placuit) Astronomiae germana, atque simillima non solum honestam animi remissionem, iucundamque turbulentarum molestiarum quietem parit: sed coelestium imitatione conversionum cognatas humanae mentis conversiones, vagas, & errantes, componit: perficitque ut illa ipsa mentis intentio, velut in canu, & fidibus, sic ex rationis agitatione, & natura concordes modos tanquam in cantum sonos faciat: qui ergo, quantas divinae sapientiae, & quam synceras imagines Mathesis philosophis animis ostendit? qua via propius in hac mortalitatis illusione, ad immortalis naturae conditionem accedimus? hominem insolitus, perturbatusque corporis tenebris obcaecatum dolemus? Mathesis in eo lumine constituit, ut innumerabilem rerum multitudinem modis numerisque distinguat: hominem corporis exigui, velut carceris angusti custodia constrictum querimur? Mathesis liberat, seu potius hominem hac mundi universitate maiorem reddit: ut eam, cuius vix millies millesimum punctum dici potuit, totam oculis ipsa multo grandioribus, aspiciat: hominem a coelesti possessione in ultimas mundi partes abiectum, & a patria extorrem, exulemque misereamur? Mathesis in avitam, patriamque coeli haereditatem restituit: tabulasque tam preciosae possessionis (quibus temporum vices, momentaque certis characterum notis designantur) non solum interpretatur, sed diis ipsis authoribus addicit: hominem maximis, & turbulentis cupiditatum motibus misere iactatum lamentamur? Mathesis tranquillitatem parit, & discordes animae motus harmoniae suavitate temperat, & ad concordiam rationis imperio consonantem redigit: quam coeleste, quamque deorum proprium est, cum in tenebris caecus erres, in amplissimo lumine omnia numerare? cum in uno loco vincetus tenebris, omnes regiones celerime, liberrimeque peragrare? cum exules, in media patriae luce versari, cum agiteris, statum tenere? hanc tantam homini, id est, umbrae virtutem cum imagines istae tribuant, quid in ipsa veritate arbitramur futurum? non oratione hic opus est: nulla enim orationis tanta vis est, ut vel minimam tam beatae mentis partem possit adumbrare dicendo: animis hic opus est, qui liberrimam, & per omnes mundi partes aequabiliter fusam sphaeram illam Pythagoreorum speculentur, cuius centrum sit ubique, circumferentia nusquam. Atque cum haec tanta sint, quanta certe sunt, ut in his umbrarum simulachris, atque imaginum formis immensam rerum omnium parentis Dei liberrimamque potentiam, & animos nostros ex quadam eius particula decussatos ostendant, tamen cum ad monita, praeceptaque de vita, & moribus Dialectica pervenerit, & Aristidis iusti-

ciam, Catonis severitatem, Fabritii continentiam, nostrorum vero herorum cum in omni genere virtutis laudem, tum mirabilem in afferenda Christianae pietatis religione patientiam, fortitudinemque perspexerit, longe perfectissimas imagines inveniet: nam cum proximo ingressu secundi iudicii lumen accenderit, & ultimum, supremumque vitae finem, naturae congruerter, convenienterque, id est fortiter, iuste, liberaliter, moderate, prudenter, religiose vivere perspexerit: si has inchoatas virtutum imagines ad consummatam veritatem retulerit: quantam divinitatis speciem consequetur? animis nostris igniculos divinitus insitos agnoscat, alios ad laborum, periculorumque patientiam, alios ad eas res (quas habeas) largiendum, & cum aliis communicandum, alios ad societatem hominum, concordiamque retinendum, alios ad effrenatas libidinum voluptates, & illecebras domandum, alios ad omnium artium, scientiarumque studium: harum itaque laudum perfectissimas in illa prima mente, & constantissimas caussas (unde haec simulachra sumptus) Dialectica statuet, ut si mortalium omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtutes unum in locum conferantur, atque ex his omnibus unica virtus efficiatur, admirabilem quidem, & maiorem quam dici, cogitarive possit, esse necesse est: vix tamen, ac ne vix quidem vel minimam tantae divinitatis umbram imitabitur, ut infinitis partibus quiddam praestantius, & excellentius in Deo sit aestimandum: quamobrem cum ex caeteris, tum maxime ex his, & nniversis imaginibus virtutum, & umbris imaginum singulibus longe sapientissimum, providentissimum, liberrimum, optimum universitatis artificem, rectoremque iudicabit, qui beatissima luce nostros animos illuminarit: ut cum artium omnium, scientiarumque potestates, velut in conventum aliquem celebrem, & solennem vocaverimus, singularumque provincias, officia, munera, ditiones recensuerimus, umbras, & imagines immensae virtutis admirati, ad eam converteremur, amaremus, coleremus: deinde in speluncas nostras, id est, ad imperitos, & ignaros reversi stultas de his bonorum umbris contentiones, bella, cupiditates accusaremus: amicos imprimis, deinde etiam alienos, quintam inimicos, quoniam nostri generis (ad quod universum adiuvandum, & amandum nati sumus) animantes sunt, ad veras illas, & aeternas opes invitaremus, quas ille ipse bonorum omnium opifex, & effector, fortibus, iustis, liberalibus, moderatis, sapientibus, religiosis animis amplissimo, munificentissimo dono propositus.

Cum igitur hoc modo Dialectica animum ab hisce crassis sensuum umbris avocaverit, omnesque Philosophiae regiones peragraverit, in eis suo quibusque ordine descriptis ideas illius sem-

piternae veritatis (quas in obscuris umbris occultas, & reconditas vix per involucra conspi ciendi potestas fuit) clarissimas demonstrabit: tum sursum altius ad earum vivum, & archetypum exemplar excitabit: tum ad intermissas umbras per interpositas imagines revocabit, ut hac umbrarum, imaginumque meditatione confirmatus tandem animus infinitam illam mentem videat, & non videntibus ostendat; hic enim studiorum, vigiliarum, doctrinarum modus statuendus est: huc artes omnes traducendae sunt, & convertendae, ut illum ipsum veritatis fulgorem, cuius umbras, & imagines erant persecutae, summo pietatis ardore contemplentur. Hi tres sunt dialectici iudicij gradus, per quos de rebus omnibus (quae in dubitationem caderent,) iudicium sieri possit: primo quid sit verum, falsumve queritur, secundo res varia, multiplex que clarius exponitur, tertio quantum homini de Deo literis humanis nosse fas est, tantum cognoscitur; reliqua nobis est iudicij non nova quidem doctrina, sed certe nec iniucunda, nec inutilis accessio, memoriae confirmandae admonitio est, quae iudicij gradus, perinde ac umbra lucente sole corpus sequitur: ut enim Rhetorum omnium pracepta perlegas, quae de memoriae arte tradita sunt, nihil ordine certius, & fidelius: nec porro ordinis ullam meliorem doctrinam reperies, quam quae in iudicio descripta est, ubi tum unius, tum multorum argumentorum dispositio clarissimo, & constans partium ordinis tractatur: in pleno enim syllogismo propositio, assumptio, conclusio est: in longa diversarum rerum disputatione partitio duorum, aut plurium membrorum, quae deinceps ordinatim disputantur, ut cum mens huius ordinis artificio instructa totum rerum corpus ita digestum meminerit, singularum partium sententias memoria facile consequatur; sed de hac umbra iudicij satis. Primae partitionis tertia pars reliqua est: sic enim primum proposuimus, differendi facultatem natura, arte, exercitatione perfici: de natura, & arte breviter, sicut erat institutum, diximus: exercitatio itaque una restat, quae artis precepta in opus educat, & vim praceptis inclusam exemplis effingat, & exprimat: in qua quantum insit ad bene differendum momenti, dici posse eisdem vix arbitror: si quis enim eximiae pulchritudinis animalia in aulaeis picta spectaret, atque in ipsa spectandi admiratione cum esset, ea repente excitata prosilirent, viventiumque motus, gestus, certamen etiam aliquod exhiberent: quanta iam esset, & quanto persusa gaudio spectanti laetitia? ita si quis artis tam nobilem, tamque humanitatis propriam descriptionem contemplatus, usum aliquem, viventemque actum desideret, atque in ipso desiderio doctrinae, velut artus animari, suaque sponte moveri aspiciat, protinusque ita comparari, ut Palladis alicuius

instar occultissimas res aperiat, consulentibus summa prudentia respondeat, res controversas disceperet, perturbatis ordinem, obscuris lucem adferat: qua voluptate haec ipsa contemplantis animus gestiet? qua laetitia exultabit? haec porro miracula nobis exhibebit exercitatio, languentes, & sopitos artis sensus excitabit, calore viventis sanguinis, motuque ratiocinantis spiritus animabit: summa igitur, ac prope sola differendi virtus est in exercitatione, quae interpretatione, scriptione, dictione continetur: interpretationem voco Poëtarum, Oratorum, Philosophorum, omniumque artium, & excellentiū scriptorum lectionem, auditionem, & ad instituta Dialecticae artis explicationem: quae pars maxime necessariis praceptis instructa est, nihil tamen a priorum traditione dissidentibus: retexta enim quaedam ars est, & per omnium progressionum gradus repetita: quae spectari iubet velut Architectonica, operis confecti formam, omnibusne locis ad artis legem, & regulam conveniat, an ideam praceptis monstratam penitus exprimat, omnibusque omnium partium numeris absolvat: atque haec diligentia (ut dixi) in scriptis alienis intuendis, & explorandis praecipuam laudem habet.

Primum igitur interpretatio, quod explicandum assumpserit, a capite retexet opus universum, quaestionem cernet, quae differenti proponit: ut si MARTIALIS illud epigramma sumpserit interpretandum:

Esse quid hoc dicam, quod olen tua basia myrram:

Quodque tibi est semper non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quod oles bene Posthu me semper.

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Quaestionem primum eruat, quae sic est (an male Posthumus oleat) ubi vero quaestio provisa fuerit, quae diligentia artis praecessit, eius opus prius explorabit: argumentum igitur primo requiret, quoniam inventionis in differendo prima cura est, argumentum autem est (*bene semper olere*) quod ad proprium genus inventionis relatum, ex adiunctis mali odoris erit: quod accidat frequenter, ut male oientes unguentis depellant odoris foeditatem: hic autem unum omnis orationis commune vitium cendum imprimis est, ambiguitas, & fallax antiquis sensus significatio: qualis pestifera, & extialis *Cecinnae* fuit, quem populus Romanus similitudine nominis (sic enim appellabatur unus e Caesaris interfectoribus) inductus crudeliter necavit, discerpitique, cum Caesari tamen esset amicissimus: hanc itaque tam periculosam fraudem cum in arguento explorando vitaverimus: maxime atque accuratissime cernenda erunt ea vitia, quae virtutes argumentorum vindicentur imitari: ne ut caussae proponantur, quae caussae non sint: ut apud eundem libro quinto,

*Cum sitis similes, paresque vita:
Vxor pessima, pessimus maritus:
Miror non bene convenire vobis.*

Videntur hic esse caussae amoris, quae dissidi caussae sunt: quemadmodum & secunda Philippica CICERO falsis Antonium caussis usum esse reprehendit: at quemadmodum (ait) me coarguerit homo acutus recordamini: Caesare imperfecto, inquit, statim cruentum alte attollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamat: atque ei recuperatam libertatem est gratulatus, cur mibi potissimum, qui sciebam? vide ne illa caussa fuerit appellandi me: quod cum rem gessisset consimilem rebus his (quas ipse gesseram) me potissimum testatus est, se aemulum mearum laudum extitisse: atque ex his fallaciis frequentes sunt MARTIALIS ioci: ut in Rethorem libro quinto ex effectis,

*Extemporalis factus est meus Rhetor:
Calphurnium non scriptit, & salutavit.*

Hic poëta sumpsit velut effecta eloquentiae, quod sine scripto Rhetor ille Calphurnium salutasset: sic eiusdem est ex captiosis paribus in Codrum eodem libro,

*Quod alpha dixi Codre penulatorum
Te, nuper aliqua cum iocarer in charta:
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit beta me togatorum.*

Paria videntur alpha penulatorum: beta togatorum: quia sunt affines alphabeti literae: cum illa principem, vel primum: hac nihil, aut secundum significemus: ita CATULLVS de Quintia captiosam partium enumerationem notavit:

*Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est: haec ego sic singula confiteor:
Totum illud formosa, nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magno corpore mica salis.*

Et totum aliquando specie decipit: ut malus poëta Cicero, ergo malus: totum enim videtur ad partem conserri: cum longe secus sit: interdum definitio non confecta in suas leges est, sic Philippica prima CICERO falsam definitionem gloriae refellit: illud magis vereor (ait) ne ignorans verum iter gloriae, gloriosum putas, plus te unum posse, quam omnes: & metui a civibus, quam diligi malis: quod si ita putas, totam ignoras viam gloriae: charum esse civem: bene de republica mereri: laudari, coli, diligi, gloriosum: metui vero, & in odio esse, invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum: nullum autem genus argumenti veri est, cui captiosum, & fallax non sit aliquid oppositum: & falsorum numerus multo maior est, quam verorum argumentorum: sed aestimari falsum debet ex veri lege, & natura: ut si dubites, an acceptum argumentum sit caussa, ex caussae definitione cognosces, & in caeteris similiter: saepe autem ex definitionibus argumentorum trahuntur quaedam ipsorum leges: ut caussa

praecedit effectum: subiectum esse potest sine adiunctis: dissentanea non conveniunt: eodem modo in reliquis argumentis omnibus: quae leges quid firmitatis habeant ad probandum, syllogismi regula declarabit: ita CICERO quinta Tusculana, ex vi, & natura contrariorum disputat. Quid (ait) cum fatentur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam: nonne fatendum est eandem in virtute esse ad beatam vitam? contraria enim contrariorum sunt consequentia; argumento contrariorum CICERO probaverat, beatam vitam esse in virtute, quia misera esset in vitiis: deinde id ipsum lege confirmavit argumenti, quod contrariorum ea natura sit, ut sint contrariorum consequentia: eiusdem argumenti legem multo vehementius, sed paulo aliter secunda Philippica tractavit, his verbis: tam autem eras excors, ut tota in oratione tecum pugnares: ut non modo non cohaerentia inter se diceres, sed maxime disiuncta, atque contraria: ut non tanta tecum, quanta tecum tibi esset contentio: vitricum tuum in tanto scelere fuisse fatibile: poena affectum querebare: sic dissimilitudinis legem secunda Agraria adhibuit: audes etiam, Rulle, mentionem facere legis Semproniae: nec te ea lex ipsa commovet, tales viros illos triginta quinque tribuum suffragio esse creatos: cum tu a Tyberii Gracchi aequitate, ac pudore longissime remotus sis? id quod dissimillima ratione factum sit: eodem iure putas esse oportere? sic in caeteris omnibus argumentis confirmandis vis ipsorum, naturaque potest adhiberi. Hac itaque ratione cum quaestionem, quaestionisque argumentum interpretatio diligenter exploraverit, ex argumenti, quaestionisque coniunctione triplicem factam connexionem, propositionem, assumptionem, complexionem (in qua quaestio conclusa est) investigabit: ternariumque numerum illum severissime exiget: ut in epigrammate proposito, propositio ultimo loco est,

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Assumptio est primo loco cum significatione quaestionis,

Esse quid hoc dicam, quod olen tua basia myrram?

Quodque tibi est semper non alienus odor?

Conclusio verbis propriis expressa non est: sed repetita assumptione facete significata,

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene Posthume semper.

Si tamen plures sint, paucioresve pronunciations, non protinus rem damnabimus: nam si plures sint, possunt esse partium probationes: vel exornationes: quales fere sunt omnium accuratarum disputationum syllogismi: cum propositio, assumptione confirmantur, aut expliuntur, ut in eodem,

Quid te, Tucca, iuvat vetulo miscere falerno

In Vaticanis condita musta cadis?

Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?

Aut

Aut quid fecerunt optima vina mali?
 De nobis facile est: scelus est iugulare falernum:
 Et dare campano toxica saeva mero:
 Convivae fortasse tui meruere perire:
 Amphora non meruit tam pretiosa mori.
 Propositio est in penultimo disticho exornata
 repugnanti:
 De nobis facile est: scelus est iugulare falernum:
 Et dare campano toxica saeva mero.
 Accessit eiusdem propositionis expolitio altera item ex repugnanti:
 Convivae fortasse tui meruere perire:
 Amphora non meruit tam pretiosa mori.
 Assumptio primo loco est:
 Quid te Tucca iuvat vetulo miscere falerno
 In Vaticanis condita musta cadis?
 Expolitio sequitur ex adiuncto, quod ipsum
 ex contrario adverso augetur:
 Quid tantum fecere boni tibi pessima vina?
 Aut quid fecerunt optima vina mali?
 Conclusio deest: addatur igitur hoc modo,
 & breviter concludatur,
 Falernum malis vinis permiscere, scelerati hominis est:
 Tucca vero permiscet falernum vinis malis:
 Est igitur Tucca sceleratus.
 Quapropter ad hunc modum discernendae
 erunt orationis vires ad iudicium de sententia
 comprehensa faciendum.
 Vis autem praecipua, commoditasque syllogismi est in longioribus disputationibus resolvendis, retexendisque: ut cum in perpetuae orationis partibus syllogismos multos distinxeris: uno summam totam (ut plerunque ex se, sed multis ornamentis amplificata comprehensa est) omnibus detractis amplificationibus, notatis tamen capitibus argumentorum succincte complectare: sic Miloniana CICERONIS in unum Dialecticae ratiocinationis vinculum est inclusa, Sceleratum hominem licet interficere:
 Ut populi, ut iudiciorum, ut Senatus, ut Deorum, ut legum authoritas declarat: maxime vero cum vi vis illata defenditur: ut Marii iudicium, ut naturalis, & humana lex testatur: nec Senatus, nec populi leges dissentiant:
 At P. Clodius homo sceleratus insidiarum vim paravit, utilitate, odio, improbis moribus, spe impunitatis impulsus, quod ipsius & voce, & factis intellectum est: sceleratum vero fuisse, eius facinora in deos, atque in homines arguunt:
 Iure igitur caesus est Clodius: hoc modo Cicero Milonis defensionem disposuit.
 Cum autem totum corpus orationis syllogismum non impleverit: est nihilominus eius summa ad normam illam conferenda: ut explorati intellegatur; sive enim ars, sive sermo, sive alteratio, sive alia quaevis oratio scribatur, quanvis perpetuo cursu tractanda, atque exponenda sit: vis tamen generis universi, singularumque par-

tum natura (si dubitationis aliquid habear) syllogismi conclusione probanda erit, & confirmanda: cuismodi & in hac (quam perpetua secundi iudicii via tradimus) disciplina fuerit: illustretur enim haec quoque utilitas exemplis pluribus: nam si forte totam rem penitus non percipias, hac una ratiocinatione summam explicare, & complecti licebit: doctrinae differendi proprium est, omnes res explicandi, atque interpretandi instrumentum: differendo enim, & ratione utendo nihil tam perturbatum, quod non illustretur: nihil tam obscurum, quod non declaretur: Dialectica autem differendi doctrina est: tradit enim vias inveniendae fidei, & rationis ad expositionem rerum, atque explicacionem accommodatae: deinde constantem regulam praescribit, normamque instituit, qua rationes inventae disponantur, ac res dubiae iudicentur. Est igitur Dialecticae rerum omnium explicandarum artificium, atque instrumentum proprium: ita vides totam Dialecticam uno syllogismo conclusam: sic & breviores sententiae hac eadem syllogismi lance ponderandae sunt, quamvis aliquid debet: ut in fine primi Bucolic Virgiliani, ubi Tityrus invitat hospitio Meliboeum: propositio deest,

*Hic tamen bac mecum poteris requiescere nocte,
 Fronde super viridi, sunt nobis mitia poma,
 Castaneae molles, & pressi copia lactis.*

*Et iam summa procul villarum culmina fumant:
 Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.*

Quaestio primo loco est:

*Hic tamen bac mecum poteris requiescere nocte:
 Argumentum ex adiunctis loci, fronde super viridi: & personae,*

*Sunt nobis mitia poma,
 Castaneae molles: & pressi copia lactis: & temporis,*

*Et iam summa procul villarum culmina fumant:
 Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.*

Assumptio itaque est perpetua sine propositione: quae si addatur, ratiocinatione plena quaestionem facilis aestimabis hoc modo: Commodo possis apud eum requiescere: cui lectus sit viridi fronde stratus: cui sunt mitia poma, castaneae molles, & pressi copia lactis: praesertim cum nos appetat:

Adsum autem nobis haec omnia:

Hac igitur mecum poteris requiescere nocte.

Itaque & detrahendum est, quod superat: ne quid offundat tenebrarum in iudicando: & addendum, si quid deest, & ad ideam artis comparandum: secus lesbiam quandam regulam praescriberemus: quae non ratione, & lege opus aestimaret, sed rationem legemque opere definiret: sit igitur in interpretatione prima haec cura, ut quaestio, & argumentum, deinde tria proloquia ex illis confecta videantur, deinceps postremum est, ut quaestionem veram, falsamve decernamus: quod ad partium singu-

singularem primum, deinde ad totius universam collocationem pertinet: hac enim duplicitate quaestio (quae dubia prius erat) aestimatur: prior autem ratio ad propositionem, & assumptionem pertinet: in quibus illud ante in argumentis expositum vitium (Amphiboliam dico) cavendum maxime est: est enim mala valde bestia, & quae saepe alicipi sensu distractum iudicium conturbat: haec duos summos reges in fraudem, calamitatemque impulit, Croesum, Pyrrhumque. Croesus enim Lydiae rex cum Apollinem de bello adversus Cyrum, Persarum regem consuleret, hoc oraculo deceptus est,

Croesus Halym penetrans, magnam pervertet opum vim:

Creditit enim Croesus, cum Halym fluvium Cappadociae traieceret, se hostium magnas opes perversurum, pervertit suas: & Pyrrhus Epirotarum rex, cum eundem consuleret Apollinem de bello Tarentino contra Romanos, similis ambiguitate responsi delusus est,

Aio te Aeacida Romanos vincere posse:

Creditit se Romanos victorum: victus est a Romanis, hanc igitur tam immanem belluam cum caverimus, doctrina hic nulla requiritur, sed natura ipsa audienda est, cuius iudicium in his duabus partibus, propositione, & assumptione solum est, artis prorsus nullum: nisi enim propositioni, & assumptioni ratio, sensusve sua sponte assentiatur, nihil ars possit adiuvare: ut in hac re una facile percipiatur, quam sit Dialectica naturalis, artificiosa praestantior: quamque naturam imitetur ars, aequatur nunquam: est quidem certe iudicationis huius universae ratio magno cuidam templo simillima: ut enim illic occultiora duntaxat adyta collucescente caereo, aeditiores autem aerae, delubra, fastigia multo magis splendore solis illustrantur, ita Dialecticae artis aestimatione sola conclusionis veritas: propositio autem, & assumptionio multo magis naturali quodam sensus, mentisve ampliore lumine cernuntur, ac ne ipsam quidem conclusionem aestimare artis tam est, quam naturae: ars enim ex naturali propositionis, atque assumptionis lumine scintillam quandam ad illuminandam complexionem, quasi precario accipit: tam est humilis doctrina, si cum naturae amplitudine comparetur, ut mirum nihil sit magna saepe ingenia suapte natura sentire, facereque melius, quam alterum possint docere: quod si de propositione, vel assumptione, naturae dubium, vel instituto contrarium iudicium fuerit, eius partis nova quaestio existet, novoque probanda argumento. Quamobrem singularum enunciationum veritate, naturali iudicio ponderata, interpretatione ad dispositionem argumenti transferenda est, ut universae collocationis constantia cognoscatur: nec nova hic ulla praceptio est: sed ex simplicis, & coniunctae ratiocinationis

doctrina, genus primum, deinde species apprehendatur: ut in primo illo MARTIALIS epigrammate relatus syllogismus est: propositio enim relationem habet, is, qui,

Posthume non bene olet, qui bene semper olet.

Et cadit in tertium modum primae speciei simplicis, hoc modo,

Quicunque bene semper olet, is male olet:

Posthumus bene semper olet:

Posthumus igitur male olet.

Quamobrem cum argumenti cum quaestione coniunctionem, & coniunctionum copulationem erimus assecuti, indubitatum iudicii legem erimus assecuti: qua velut aurum igne, sic dubitationis fides exploretur, & probetur: regulam enim habebimus descriptam perpetuae, & nuncquam fallentis veritatis: ad cuius numerum, quadrumque cum institutam disputationem redigerimus, iudicium de quaestione certissimum faciemus: interpretatio inventionis primique iudicii ita se habet: in secundo autem iudicii gradu simillima ex partis huius praecceptis animadversio erit: cum enim artem aliquam explicandam sumpserit, finem caeteraque caussas summa definitione comprehensas requiret: subiectas res paucis generibus notatas. Atque in partibus singulis, antecedentis interpretationis diligentia adhibita ad hanc exercitationem primo notas, & illustres artes, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, id est, se ipsam explicabit: Grammaticam scientiam recte loquendi, membra Orthographiam, Etymologiam, Syntaxim, Prosodium videbit ad Dialecticae normam convenire: in Rhetorica non idem erit: assumpsit enim doctrina illa, quicquid utile sibi iudicavit: suumne, an alienum, non valde laboravit: sed eam partem amicissimus studiorum socius, consorsque laborum meorum, AVDOMARVS TALEVS illustrabit: Dialecticam ut legibus illis explicit haec ipsa, de qua loquimur, interpretatione, in solis Institutionibus nostris materies erit: ab his igitur primis artibus profectos Poetas, & Oraatores deinceps, enarrabit: nec tantum bene scriptas orationes, sed vitiosas interdum ad huius exercitationis utilitatem declarabit: ut SOCRATES apud Platonem in oratione Lysiae (quam Phaedrus unice commendabat) multa vitia notavit, quod nihil definiret, nulla partitione uteretur: qua exercitatione nos ipsi quoque sumus usi, ut Animadversiones Aristotelicae planius loquentur: atque his primis studiis ita perspectis, & exploratis, naturalium rerum magnificam, & copiosam scientiam eodem modo ponderabit: Mathematicas artes examinabit: Geometriam, dii faxint, ut aliquando constituant, definiat, distribuat in partes, singularum proprias affectiones coniungat, usum institutionum omnium ostendat: quod tantum bonum si poterit aequari, Astronomiam deinceps licet impeditam, & dissipatam, facilius componet, & com-

commentitiis somniis liberabit: tum Musicam non tam ignoratam, quam despectam vindicabit: & in honoris debiti loco collocabit: tandem vero, quae de moribus traditae sunt disciplinae, eas exercitatione pari percensebit, atque in hac omnium liberalium scriptorum, & ingenuarum disciplinarum meditatione, tractatione, explicatione tanquam in bona republica, cui iam antea laudi comparata est, princeps non verborum contentionе, sed iudicii severitate vicia omnia damnabit: seditiosarum turbas opinionum expellet: delicias vanarum, & ociosarum subtilitatum exterminabit: ut sit, quemadmodum in sensu bene constitutae civitatis bonorum duntaxat, & civium, praetermissis malorum, & externorum nominibus, sic in artium constitutione, utilium tantummodo, & necessariarum rerum, detractis omnibus refutationum impedimentis, sancta quaedam, laudabilisque descriptio. Postremi iudicij interpretatio ad artis itidem suae praecepta, atque instituta referenda est: quae materiam tamen vix reperiet, in qua possit exerceri: nemo enim adhuc artes humanas in hunc dispositionis ordinem contulit: quanquam & in *Republica PLATO*, & in *Natura deorum CICERO* occasionem quandam meditationis huius attulerunt.

Scribendi, dicendique exercitatio superest una, & eadem monitione comprehensa: & quanvis vox ad docendum multo valentior sit scriptura, linguaque sit manu disertior, ut sapienter in *Phaedro extremo Socrates* disputat: scriptoris tamen exercitatio natura, & tempore prior est: cuius non alia via est, quam Rethores exercendae Eloquentiae, tradiderunt: quamobrem (ut *CRASSVS* ait) *in istis ipsis exercitationibus, et si utile est etiam subito saepe dicere: tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratus, atque accuratus dicere*: caput autem est (quod ut vere dicam minime facimus, est enim magni laboris, quem plerumque fugimus) quamplurimum scribere: stylus optimus, ac praestantissimus, ut dicendi, ita differendi effector, & magister: nam si subitam, & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua, ac diligens scriptura superabit. Scribendi vero, dicendique prima, facillimaque via est imitatio, quae prudenter quos imitari velit, seliget: unus e Latinis Cicero in *Orationibus*, in *Philosophia*, in *Oratoriis Institutionibus* (quanquam hic auctoritate veterum deceptus est) saepe etiam in *Epistolis* multum proderit: sed & omnium rerum diligentes, & accurati scriptores. Praecursive igitur interpretationis, & lumine virtutibus auctoris ad imitandum propositi cognitis, & perspectis, quaestio aliqua consimilis earum rerum (quae ab illo, quem imitamus tractantur) imitanda proponetur: scribendo, dicendoque explicabitur quam maxime ad veritatem,

& similitudinis expressionem accommodate: ita enim inventionem acuemus, & confirmabimus iudicandi prudentiam: cum ex alienis virtutibus (ut accidit in sole ambulantibus) colorari nos sentiemus, deinde ab imitatione scriptio, dictioque se ipsam disiunget, & secum ipsa certabit, quaestionem liberam sumet: de bonis rebus, & malis, de iucundis, & utilibus, de que omnibus communis hominum iudicio subiectis, & industria propria explicabit: omnes inventionis artes excitabit: nullum intentatum genus argumenti relinquet: quaestione utramque partem per omnia argumentorum genera deducet: quemadmodum quaestione nostrae (*an homo est dialecticus*) partem utramque per omnes locos inventionis deduximus, hinc veterum sophistarum de rebus omnibus ex tempore dicendi facultas extitit: hinc Academiae dubitatio, & contra omnes omnium sententias disputatio: hinc ab Aristotele de singulis in utramque partem differendi manavit institutio: hinc Ciceronis, & excellentium Oratorum quotidiana declamatio: hinc omnis copia rerum, & supplex, hinc omnis probatio, fidesque, hinc motus fere omnis ac delectatio animorum: quare quoniam in hac parte tantum boni est, magnus labor, magnum studium est adhibendum, ut inde rerum abundantiam quam amplissimam, & ad omnem disputationem promptissimam facultatem hauriamus: deinde pari diligentia iudicij gradus omnes erunt exercendi: quicquid interpretandum scribendo, dicendoque fuerit, aliqua ratiocinationis forma (quamvis non perpetuo plena) concludatur: utque quaestione eandem per omnes locos inventionis, sic per omnes modos ratiocinationis deducamus: aliud alio modo argumentum concludamus, ut non tantum argumentis, sed syllogismorum modis subinde novis semper utamur. In perpetua autem, & multiplici rerum explicatione nunquam a secundi iudicij regula discedendum: atque ut interpretationem, sic scriptionem, dictionemque possumus per omnes artes deducere: quis enim alienum vel incommodum putabit, si non ad alios docendum, certe ad studiorum fructum augendum, commentarios artium singularium concinne, pressè, apte conficere? atque in his ordine (ut tertium genus aestimandi docuit) collocatis, summi Patris sapientiam, providentiam, naturam, probitatem, manu, linguaque celebrare? & identidem animo cogitandam, admirandam, venerandam proponere? haec honestissima in laudibus optimi maximique Dei exercitatio fuerit: sic omnium gradibus aeratum, omniumque progressionibus studiorum Dialectica coniungetur exercitatio: cum enim puer e Grammaticis exierit, cum Rheticis elocutionis praeceptis, inventionis, primique iudicij doctrinam copulabit: paulo firmior effectus, secundi iudicij prudentiam spectabit: postremo per-

perceptis omnibus artibus, cum iam canescens animus suam quandam maturitatem, & quasi senectutem habebit, in tertii iudicij sanctitate religiosius acquiesceret: volo enim naturae coniunctam semper esse artem, artisque exercitationem: & quoniam toto hominis vita nihil aliud esse, quam rationis usus, id est, Dialecticae naturalis exercitatio debet: sic rationis, & Dialecticae naturalis artem, quanquam breviter, & paucis praeceptis cognitam, tota vita tamen in rebus omnibus meditemur, & exerceamus, tum certe, ut in caeteris artificiis omnibus, sic in hoc universo, & omnia alia complectente verissimum illud esse percipiemus, *artem non tam praeceptis quam exercitatione cognosci*, multaque quae otiosis in scholis pueri iejuna, atque arida putabamus, senes in hoc usu diligentissime versati mirabimur: atque ipse sensus consuetudine, & exemplis informatus aliquid ostendet, quod quieta cogitatio quamvis acutissima non poterat intelligere: quamobrem quantus erit exercitationis labor, tanta erit artis non solum utilitas, sed scientia, prudentiaque. Dialecticae exercitationi satisfactum iam nunc esse arbitror: sed ne de convivio tam liberali sine corollario discedamus: accessio memoriae (quam iudicio fecimus) nobis est adiungenda: suaque exercitatione breviter ornanda: in qua quia praecpta nulla nova sunt, quid aliud requirendum est, quam ut exemplo res illustretur? sit igitur puer, qui querimoniam illam Penelopes apud OVIDIUM de Vlyssis absentia post eversam Troiam, memoriae commendare velit,

*Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilios, & murus, quod fuit ante solum:
Si maneo, qualis Troia durante manebam:
Virque mihi dempto fine carendus abest?
Diruta sunt aliis: uni mihi Pergama restant,
Incola captivo quae bove victor arat:
Iam seges est, ubi Troia fuit, resecandaque
falce:
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus:
Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
Offa, ruinosa occulit herba domos.
Victor abes: nec scire mihi quae caussa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quisquis ad hanc vertit peregrinam littora pup-
pim,
Ille mibi de te multa rogatus abit:
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon antiqui Neleia Nestoris arva
Misimus: incerta est fama remissa Pylo.
Misimus & Sparten: Sparte quoque nescia veri,
Quas habitas terras, aut ubi lentes abes.
Vtilius starent etiam nunc moenia Phoebi:
Irascor votis, beu levis, ipsa meis:
Scirem ubi pugnares, & tantum bella timerem:
Et mea cum multis iuncta querela foret.*

*Quid timeam ignorō: timeo tamen omnia demens:
Et patet in curas area lata meas.
Quaecumque aequor habet, quaecumque pericula
tellus,*

Tam longae caussas suspicor esse morae.

Hunc totum locum cum viderit puer primo connexo syllogismo comprehensum, partes singulas notabit, earumque praecipuas exortationes: propositionem igitur aspiciet initio, in quatuor primis versibus positam,

*Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilios, & murus, quod fuit ante solum:
Si maneo, qualis Troia durante manebam:
Virque mihi dempto fine carendus abest?*

Deinde sequitur ex dissentaneis absentiae, amplificatio nondum positae assumptionis, at tu abes, & quidem nimium diu, quia caeteri redierunt, tu solus abes tam multis post deletam Troiam temporibus, ubi sex sunt versus:

*Diruta sunt aliis: uni mihi Pergama restant,
Incola captivo quae bove victor arat:
Iam seges est, ubi Troia fuit, resecandaque
falce:
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus:
Semisepulta virum curvis feriuntur aratris
Offa, ruinosa occulit herba domos.*

Duodecimus versus habet assumptionem auctam maiori, non modo abes, sed sic abes, ut scire nequeam, ubi lateas: quod exaggeratur factis Penelopes, interrogo, scribo, mitto in omnes orbis partes, nec quicquam de te audio: decem sunt hic versus,

*Victor abes: nec scire mihi quae caussa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.*

*Quisquis ad hanc vertit peregrinam littora pup-
pim,*

*Ille mibi de te multa rogatus abit:
Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.*

*Nos Pylon antiqui Neleia Nestoris arva
Misimus: incerta est fama remissa Pylo.
Misimus & Sparten: Sparte quoque nescia veri,
Quas habitas terras, aut ubi lentes abes.*

Conclusio tandem vicesimo primo secundoque versu per contrarium significatur, duo tantum sunt versus,

*Vtilius starent etiam nunc moenia Phoebi:
Irascor votis, beu levis, ipsa meis.*

Sed & ipsi conclusioni amplificatio accedit ex adiuncto, quod ipsum ex repugnantibus augetur, sex sunt versus.

*Scirem ubi pugnares, & tantum bella timerem:
Et mea cum multis iuncta querela foret.*

*Quid timeam ignorō: timeo tamen omnia demens:
Et patet in curas area lata meas.*

*Quaecumque aequor habet, quaecumque pericula
tellus,*

Tam longae caussas suspicor esse morae.

Quamobrem cum hac interpretationis diligentia puer totam sententiam distinxerit: vel a dili-

diligenti praceptor distinctam acceperit: & ex octo, & viginti versibus, quatuor propositioni, sexdecim assumptioni, octo conclusioni tribuerit: hac syllogismi descriptione non solum partes, sed partium quoque sententiam sibi reaesentabit: nam cum scierit, hic primo loco propositionem, secundo assumptionem, tertio conclusionem esse, sciet itidem ex cogitati syllogismi legibus, quae vis cuiusque partis esse debeat: quinetiam hac ratione facillime phantasias animo concipiet: per quas imagines rerum absentium ita subiiciet animo, ut cernere oculis, ac praesentes habere videatur: ut in hoc exemplo occurrent urbis antiquae ruinae, agricolae, ossa, nautae, mulier sollicite interrogans, tabellarii, bella, naufragia, caedes: in orationibus autem, disputationibusque longioribus ediscendis, secundi iudicij dispositio similem commoditatem praebebit: nam tum definitiones distributionesque universas tanquam digitos in manu: tum deductos velut articulos definitiones distributionesque singulares sequemur: omniumque numerum tanto facilis habebimus, quanto est secundi iudicij ordo syllogismi ordine nescio quomodo familiaris magis, magisque naturalis: exemplum de nostris institutionibus commodissimum hic erit, ut Dialectica sui ipsius in primis memoriam confirmet, quae aliis operem confirmandae memoriae polliceatur: figuretur igitur hic artis Dialecticae summa, & universa partitio, quae (quod dicimus) oculis etiam spectandum proponat.

<i>Causae.</i>	1. usquequaque.
<i>Effectus.</i>	2. Assumptione
<i>Principiis:</i>	Hinc. 2.
<i>Subiecti.</i>	
<i>Adiuncti.</i>	
<i>Dissentanei.</i>	
<i>Inventio argumenti.</i>	
	1. Assumptione
	2. Propositione matus.
<i>Simplex</i>	Affir.
<i>Generis</i>	
<i>Speciei</i>	
<i>Nominis</i>	
<i>Notationis</i>	1. usquequaque.
<i>princi. Conjugati</i>	3
<i>Testimonii</i>	2. Assumptione
<i>Comparati</i>	Hinc. 4.
<i>Distrib.</i>	
<i>Definit.</i>	
<i>Dialectica.</i>	
1. <i>syllogismus</i>	
<i>Definitio. Coniunctus</i>	1 Copulatus
<i>Iudi- 2.</i>	2 Relatus
<i>cium. Distributio</i>	Hi. 2. simpli- cium modis
	constant.
	3. Primo
	4 Secundo
	contrarius.
	contrarius.
	Sed bi. 2. in negato antece- dente & consequen. affirmato.
	1. toll. ut retin.
	4 Disjunc.
	2. retin. ut toll.
	Sed bic ex affirmatis omnibus.
<i>Coniunctio ar-</i>	
<i>3 tium omnium</i>	
<i>& ad Deum</i>	
<i>relatio.</i>	

Itaque partitis hoc modo, distributisque rebus, ut verborum quoque contextus facilius ediscatur, qui ab arte auxilii nihil admodum capit, nisi forte quod res ordine distributae sua vocabula secum rapient:

Verbaque provisam rem non invita sequentur, ut ait HORATIVS. Accedat, si placet ea meditatio, de qua FABIVS admonet, per partes paulatim memoria ducatur, quinetiam modica voce in meditando animus excitetur: ut dupli motu dicendi, & audiendi memoria iuvetur, tum certe si qua ratio memoriam possit adiuvare, illa dispositionis admonitio iuvabit: licebitque Philosophis, & Oratoribus (qui locis, & imaginibus artem quandam memoriae confinxerunt) per nos quidem valere: nihil enim pollicentur, quod non uberior multo, facilisque teneamus: aiunt enim ordinem prodesse memoriae: sed externis, & commentitiis eam signis, & simulachris instruunt: nos ordinis rebus ipsis insiti doctrinam certissimam, rerumque verissimas imagines adhibemus: illi verborum memoriam infinitate formarum conturbant, dum propter singula verba ad singulas species est respiciendum: nos hanc partem rerum compositione, & collocatione (quantum natura fert) adiuvamus: quamobrem quicquid est, quod ad confirmandam memoriam doctrina possit efficere, id totum iudicij Dialectici doctrina praestabit.

Habes, ο sapientiae parens, Academia (te enim peroratio postremum appellabit, quam affari primum cooperat) devotum tibi de Dialectica virtute labore nostrum: qui si quod optavi, Dialecticae naturalis imaginem quamvis rudem, impolitamque, tamen veram, constanterque membris omnibus expresserit: existet (ut spero) non ita multo post e Dialectico labore, atque cultu singularis utilitas, eximiaque dignitas laudandarum literarum omnium: Rhetorica possessionibus ornamentorum suorum contenta, naturalem sororis Dialecticae coniunctionem libenter audiet: Mathematicae disciplinae rursus in puerorum manus venient: cum primis aetatibus in gratiam revertentur: adolescentium studia felici illo, beatoque pulvere denuo commovebunt, atque excitabunt: caeterae artes quae de natura, moribusque traditae sunt, omni familiaritatis, amorisque laude facile pares erunt: omnesque certatim inter se contendent, ut tanquam nobiles, & ingenuae puellae, desponsis sibi animis non solum magnis, & affluentibus opibus: sed gratia, venustate, omnique liberalis officii genere placeant, quamobrem Dialecticam tanquam solem disciplinarum omnium suspiciamus: cuius non solum lumine colluceant, & illustrentur, sed calore, motuque excitentur, vivant, augeantur, floescant, tandemque gratissimos homini, & honestissimos fructus

fructus afferant: sitque nobis (qui descriptus est) Dialeticae finis: haec spes, haec expectatio, haec professio facultatis huius habetur: viam indagandae, atque aestimandae veritatis ostendere: ordinem rebus inventis afferre:

summum in omnibus artium institutis bonum quaerere, huc hominem invitare: hoc enim est differere: hoc ratione est uti: hoc hominis natura expetit: hoc artis institutio requirit: hoc sibi depositit exercitatio.

F I N I S.



P E T R I R A M I
V E R O M A N D V I
A R I S T O T E L I C A E
ANIMADVERSIONES.

IMAJIYE
VENDAMOYEV
ARISTOTELICAE
ANUNDERSIÖNS

P E T R I R A M I
V E R O M A N D V I
A R I S T O T E L I C A E
A N I M A D V E R S I O N E S.



Vo sunt hominum genera, qui se ad Dialecticae studium contulerunt: alteri unicam veritatem omni autoritate posthabita laboriose investigarunt: & quantulamcunque invenerant, utiliter exercuerunt: alteri unicam authoritatem pro omni veritate secuti, maioris investigationis laborem fugerunt: & propositam neglexerunt exercitationis utilitatem: atque de maiorum illorum diligentia sic ex PLATONIS testimonio primum didicimus, Prometheus antiquissimum Philosophum quaedam circa Dialecticam principia movisse: brevibusque monitis mirabiles sapientiae fontes aperuisse: unde Vulcani, Minervaeque artificiosam pariter cum igne sapientiam de coelo clepsisse dictus est: Zenoni tamen Eleati (fortasse quod ille veterum monita primus in quandam speciem artis inclusit, atque in his adolescentes exercuit) inventionis huius laudem tribuit ARISTOTELES: & certe ZENO Socrati, quaedam huīus artis p̄aecepta tradidit: HIPPOCRATES Zenonis fere aequalis, vel eius succrescens aetati, haec usu maiore confirmavit, aliaque paucis literis addidit: PLATO (cuius ore loquitur Socrates) veterum inventa mirifice amplexatus, diligenter exercuit: docuit etiam sapienter, & copiose auxit: sed plus debet Dialectica Platonis, quam superioribus: quod eam artium omnium reginam, deamque statuit: perpetuoque novis laudibus, & magnisficiis afficit: haec tenus veritas Dialectica, veritatisque utilitas simplex, & nuda fuit: quae deinceps turbari, & corrumpi coepit: Platonem enim secutus ARISTOTELES (quanquam vivus antiquum & investigatione veritatis morem retinuit: & eius utilitatem proposita perpetuae disputationis exercitatione ubiorem reddidit) tamen & a superioribus, & a se traditam, tum veritatis exercitationem scriptis suis ita perturbavit, ut non Dialecticam posteritati tradere, sed invidere, atque eripere videatur: de his (qui post Aristotelem de hac arte scripserunt) audivimus tantum, nihil legimus, quod ad eius constitutionem pertineat: fuerunt autem THEOPHRASTVS, EVIDEMVS, CHRYSIPPVS, multi praeterea nobiles Academicis, Peripatetici, Stoici: quorum vitam ab

aliis descriptam, non libros de hac arte ab illis relictos legimus. Primus igitur ARISTOTELES (quod ex veterum monumentis intelligi possit) simplicem antiquorum veritatem, & exercitationem libris suis depravavit: deinceps Aristotelei sexcentis fere post Aristotelem annis, persuasione falsae doctrinae, usus ignoratione, desperatione sui seducti, pestem ab illo suo principe vitiosis p̄aeceptis inchoatam, ad extremum malum perduxerunt: deserto enim veteris investigationis, & exercitationis studio, contrariam viam sunt ingressi: in qua rebus sibi quo modo ab Aristotele traditis contenti, nihil melius investigarunt: & exercitationem (non qua vivus Aristoteles usus erat, sed quam in libris corrupterat) secuti, rem totam ad satuam, puerilemque infantiam deduxerunt: quamobrem ad illam nobilem veterum consuetudinem revertamur: contraque hos tantae, tam generis humani propriae possessionis hostes, pro veritate, proque veritatis utilitate decertemus: & quoniam Aristotelis, Aristoteleorumque causa una, eademque prope est, nostra quoque adversus utrosque coniuncta disputatio sit: quo tamen priusquam veniamus (quod in tanta, tamque gravi dimicatione fieri necesse est) Deus Optimus, Maximus, nobis implorandus, & invocandus est: cuius ope, atque auxilio multo magis laudabiles hominum, atque honesti labores, quam ratione, consilioque humano sustinentur: abs te igitur,

O qui res hominumque deūmque

Aeternis regis imperiis: & fulmine terres,
pacem, ac veniam peto, precorque, ut imaginem divini, caelestisque luminis (quod in animis nostris inspirasti, atque accendisti) a misericordia tenebris eripi, liberarique patiare: nunc quoniam debita instituto nostro vota fecimus, unde potissimum exordiemur? a natura, ut opinor, veritatis huius parente, ac magistra commodissimum erit initium: de qua tametsi nihil homines hi cogitaverint, tamen ab eo principio nobis est ordiendum: ut ex veritate naturae mendacium captiosae confusionis arguatur: ars enim Dialectica debet ab imitatione, & observatione naturalis Dialecticae profici: quemadmodum omnes artes imaginem aliquam effingere conantur, cuius veritas in re aliqua solida atque expressa appareat: Physici p̄aeceptionum suarum

suarum monitis ideam quandam pictam proponunt, cuius veritas in rebus naturalibus certatur: Mathematici species animis intuendas subiiciunt, quarum vis in quantitatum ipsarum genere perspicitur: morales Philosophi virtutes, virtutumque proprietates artificiis item suis exequuntur, quarum actio in animis humanis cognoscitur: Grammatica, Rhetoricaque praceptiones tradunt, quarum vis, atque usus in naturalis sermonis puritate, atque exornatione deprehenditur: omniumque artium veritas prius in natura viguit, quam ulla praecepta cogitantur: nec quicquam in artis ullius accurata descriptione situm, collocatumque esse debet, cuius imitatio non e rei ipsius natura, usu, veritate deduci, derivarique debeat: Dialectica itaque (quae non modo ars esse, sed artium regina, deaque vult) deteriore caeteris conditione non erit: ut caeterae demonstrent artes, quarum rerum tanquam tabulae sint, & imagines, Dialectica vel obmutescat, vel inanum visorum somnia se dicat interpretari: immo vero autoritatem praecaram, & magnificam habebit: & quemadmodum Apelles (si forte Alexandri imaginem a se pictam, probare vellet) corporis simulachrum specie, statura, genere ipso penitus expressum, redditumque esse contenderet: ita ars Dialectica diligenter exposita, naturalis Dialecticae (cuius observatio est) similitudinem se referre: & propriis, germanisque coloribus exprimere: vim universam amplecti: membra, partesque legitimis locis partiri: habitum denique totum imitari praedicabit: hoc fundamentum est nostrae contentionis, hoc firmamentum quaestio[n]nis, haec summae, & totam disputationem complectentis ratiocinationis intentio est, ars Dialectica est imago naturalis Dialecticae: in *commentariis* autem ARISTOTELIS nihil est ad naturae monitionem propositum: nihil (si naturae veritatem spectes) non confusum, non perturbatum, non contaminatum, non foedatum: ars igitur Dialectica in *commentariis Aristoteleis* nulla est: naturalem porro Dialecticam (quae ratio aeterna in singularibus hominum mentibus divinitus insita est, atque impressa) in hominum ingenii intueri licet geminis radicibus inventionis, & iudicij, atque utriusque brachiis innixam: quorum in his libris simile nihil ostenditur: non enim summa vis illa definitione comprehenditur: nec partes certae proponuntur: sed chaos unum perpetuum ex omnibus rerum formis glomeratur: ut eunti per partes manifestius erit: de quibus tamen priusquam dicere incipio, pauca de Aristoteleis exponam, qui ad haec sancta Aristotelis velut Apollinis, oracula, magnifica quaedam nobis initia compararunt: egregiani enim quandam terminorum, sicuti suppositionum, ampliationum, similiumque (quae iam evanuerunt) artem repererunt, non minus barbarem, quam

ridiculam, atque ineptam: *terminus* enim lapis, aut stipes est, quo definiuntur agri: quem veteres stulta superstitione induci pro deo coluerunt: ut OVIDIVS secundo *Fastrorum*,

Termine, sive lapis, sive es defossus in agro

Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.

interdum etiam finis, & exitus rei, *terminus* appellatur, ut omnium aetatum certus esse *terminus* dicitur: ita praeposta nimium, perversaque doctrina intelligitur, quae a termino, id est, a fine incipit: qui enim barbaris istis exceptis, *suppositum orationis*, & *appositum* (ut Grammatici loquuntur) appelleter *terminum*, repries neminem: sed barbariem in minimis delictis sophistae numerant, & plerunque etiam gloriosam existimant: unde tanta gloria terminorum, tantaque authoritas hactenus viguit, *realis*, *logicalis*, *mentalis*, *materialis*, *primae* & *secundae intentionis*, *syncategorematici*, reliquorumque similibus titulis insignitum: quam vero in hac sece grammaticula quaedam farta ridicula sunt? deletis, & mutatis (ut fures callidi solent) notis, voculas aliquot a Grammaticis surreptas hic collocarunt, *commune*, *singulare*, *absolutum*, *connotativum*, *complexum*, *incomplexum*, *univocum*, *aequivocum*: quae Grammatici nomina *appellativa*, & *propriae qualitatis*, *substantiva*, *adiectiva*, *orationem*, aut *partem orationis*, *synonyma*, *homonyma* appellant: nisi forte bonos viros calumnior, & innocentes perversa accusatione in furti iudicium voco: possent enim suo iure fortasse mihi respondere, aliorum haec fuisse prorsus ignoramus: Grammatici qui sint, nescimus: Grammaticos nunquam vidi mus: hominum illorum praecepta nulla novimus: quae cum bona fide, (ut res est) fate rentur, cederem libenter tam simplici defensioni, vel me potius in societatem defensionis, & depreciationis adiungerem: sin vero res alienas iniustissimo exemplo sibi vindicare statuerent, contendarem, non modo Grammaticis sua reddi, sed sceleri debitibus poenis persolutis decerni oportere, ut in Grammaticis (si quae ex his utilia fuerint) discerentur: & ut ad Rheticam, sic ad Dialecticam cognita afferrentur: non autem alienissimo loco perturbarentur: ostenderemque, quid hi furunculi sophistae tendiculis istorum surtorum conarentur efficere, publicis studiis insidias fieri, pueros, liberaliter institutos in barbariem deduci: in oblivionem bonarum literarum trahi: & in aculeatas Aristotelicae passionis spinas praecipitari: ut pabulis horum tribulorum pasti, omnem ingenuae cognitionis amorem abiificant, & ex hominibus asiniant: hic enim terminorum terminus est, finis, fructus, expectatio: verum hic quamdiu bona iuventus retinetur? quantis clamoribus de terminis concertatur? vidi, & video quotidie, non sine magno dolore, quantumcunque amoris, diligentiae, ardoris, ad hanc doctrinam per-

percipiendam iuvenes attulissent, id totum in hac miseria, & calamitate perire: tum demum cum acies ingenii (quae suavissimis erat, & ad naturae usum maxime congruentibus principiis invitanda, & incitanda) hac infecta tabe elanguisset, de consequenda artis huius cognitione consilium displicere, cum tanto ardore studii nihil sit profectum: & reliqua iudicentur esse similia. De Dialectica, & eius partibus, deque usu nulla prorsus est mentio: dices terminalia quaedam celebrari: sic enim, ut ait idem ille Poëta,

*Conveniunt, celebrantque dapes vicinia supplex,
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas:*

O terminales, non doctores, sed lapides verius, aut stipites: quis enim has hominum statuas, non multo magis terminandis agris, quam tradendis. artium institutis idoneas existimet? Hactenus interpretum non solum sapientium, sed etiam eloquentium prolusio quaedam ad speciem, & pompam artis adhibetur: ut iuventus pulchritudine, & suavitate sermonis allici, magnitudine commoditatis excitari, perspicuitate capi, atque incendi ad Aristotelis cognitionem possit, id est, barbara foeditate alienari, miseriae magnitudine deterri, obscuritate debilitari, ne unquam Dialecticam diligit. Sequitur tam excellens, tamque nobile prooemium, Aristotelea doctrinane, an omnis doctrinae confusio, perturbatioque, res perspecta, cognitaque declarabit: quae ut accuratius cernatur, sit perpetuo nobis ante oculos sol ille Dialecticae naturalis subiectus, ut adversae, atque e regione occurrentes tenebrae certius, exploratiusque videantur: Dialecticam naturalem esse mentem, atque rationem: eamque dupli virtute contineri, inventionis, atque iudicii; ideoque si quis hanc vim pingendo, scribendoque velit imitari, habeat ideam veritatis illius propositionis, ut a similitudine nusquam deerret: Cedo ubinam egregius hic Apelles caput Dialecticae tam longa, tamque vasta tabula *categoriarum, ègumvæias, analyticorum, topicorum, elenchorum*, depinxit? nusquam, vel lynceus animadvertis, aspicies. At intelligi potest, inquires: video inquam, intelligi posse: neque despero, quin aliquando intelligatur: sed obsecro te, vir bone, si pictorem aliquem ad te pingendum certo precio conduxisse, isque tui corporis imaginem truncam, & sine capite tibi pinxit, cum portentosam illam picturam proponeret (quamvis meminisses te caput habere) non tibi stomachum faceret? aut cachinnum excitaret? id mihi videris gestu confiteri: cur hanc igitur animi tui (quae tanto tibi temporis, vitaque prelio paratur) imaginem prima, summaque sui parte carentem probabis? at partes quaenam sunt in toto opere descriptae? ubi sunt brachia? ubi sinistrum illud inventionis, hoc dextrum iudicii positum, distinctum, conformatumque est?

hic Aristoteles, Aristotelisque interpretes muti magis quam pisces: in omnibus enim tot, tantisque libris *inventionis, iudiciique*, ne appellatio quidem unquam audita: tantum abest, ut partitio illa naturalis, legitimaque sit exposita: hic rursus audire mihi videor, hoc & facile esse, & a quovis intelligi posse, at quoque tanta peccati licentia nos eludet? redi δ Aristotelee ad pictorem illum corporis tibi propositum: quid si cum caput esset oblitus, brachia nulla distinxisset, quid isti homini facias: si tam sit impudens, ut tales te esse clamet: idque tibi videnti, & spectanti suadeat? non colaphis, & flagris tantam impudentiam reprimes? At tu longe es vano illo, & impudenti pictore vanior, atque impudentior: qui non homini uni, sed universo hominum generi pro legitima, numerisque suis absoluta tabula, tam commentitiam, tamque monstrosum deformitatem maxima mercede vendites: Aristoteles fecit, ais, fecerit Apelles, quid tum? si tuus Aristoteles calceos fecisset ineptos ad pedem, & ad nullum prorsus usum commodos, pedemne frangeres? aut dolares, aut naturam potius omnem violares, quam Aristotelis ingenium non probares? minime (inquieris) sed pedis naturam, atque utilitatem, cuiusvis Aristotelis auctoritati praeponerem: δ fatuum, ridiculumque caput, pedem pluris, quam animum: calceum, quam artificium tantum facis? pedis, calceique gratia vanam Aristotelis, superstitionisque opinionem despicias: animi, studiisque nobilissimi gratia non despicias? tribue obsecro, amice sophista, veritati, quantum calceo tuo tribuis: & dictorum nostrorum paulisper (dum ad alia properamus) recordare: vera ut dixi, legitimaque differendi doctrina, est imago, & pictura naturae: opus Aristotelicae commentationis non est imago naturae: non est igitur vera differendi legitimaque doctrina. An tibi lapidem aliquem movere, non tota moenia concutere videor? Sed video quo iampridem me vocas: fateris Aristotelis obscuram, perturbatamque disciplinam esse: sed omnia tamen huius ingenii cogitata, scriptaque non modo utilia, sed admirabilia esse defendis: tabulam igitur ipsam, δ sapientiae magister, intueamur, sed aequam (ut aequus homo es) conditionem proponamus: ut si omnia (quae hic erunt) ad veritatem, & usum naturae referri, & accommodari ad inventionis, iudiciique viam poterunt, retexam ipse orationem, & me summae temeritatis, vel impietatis accusem: qui deum istum tuum barbara quadam stoliditate oppugnare ausus sim: sin vero tenebrae hic erunt quam plurimae, & alienissimae ab instituto, si mala infinita pauculis bonis occultis apparebunt: datis mihi, ut opinor, veniam, si quod calceo tuo concedis, ego homini, naturae, veritati, Deo concedam. Atque ut in tantis noctibus lumen

E e e e e e e e

ali-

aliquid adhibeatur, distinguamus hanc rerum indigestam massam, & quae videbuntur inventionis aliquid esse, vel iudicii, vel exercitatio-
nis, id est caliginem inventionis, & iudicii, & exercitationis continere, (sic enim hic loquen-
dum est) segregemus: itaque ad inventionis chaos, Categoriae septemque primi libri Topicorum
distrahantur: ad iudicii autem confusionem,
ἐργητεία, αναλυτική: in reliquis, exercitationis tenebrae relinquuntur. Quamobrem primum illud inventionis chaos aggrediamur: aperi itaque iam si potes, o Aristoteles oculos, & naturae tuae lumine aliquando fruere: tabulam Aristoteleae confusionis aspice, in qua categoriae primum locum (ni fallor) occupant: tametsi ad earum introitum PORPHYRIVS, velut atrien-
sis servus adhibetur, ut per eum scilicet in categorias introducamur: hunc igitur servum pri-
mo salutemus: hui? christiano homini tam sce-
lerata pestis, tamque impia salutanda est? haec labes incredibili impietate, atque scelere in Christum obstricta (a Christi enim religione, ad impiam idolatriam transfugit, & nomen Christianum immanissime vexavit) a Christianis tanta autoritate colitur? beneficium (ais) abs quovis homine accipere bonum est: sit perditus, flagitosus, impius, sit, si volet, diabolus, modo utile, verum, rectum doceat: non enim hominem, sed hominis utilem reipublicae laborem probamus: o vocem Philosopho dignissimam, quaeratur igitur rerum utilitas: negligatur hominum authoritas: sic enim veritas invenietur, & percipietur, si quis est in his rebus, fructus: quid ergo vir hic ingeniosus, & reipublicae utilis, quem ingressum in categorias aperit? an inventionem plenam declarare voluit? minime, sed quinque tantum vocabula, quae sunt inventionis partes, quatuor enim prima genus, species, differentia, proprium cum quatuor fontibus naturalis inventionis, ut in nostris Institutionibus ostendimus, convenient: in accidente autem quaedam sunt effecta, & adiuncta, non tamen omnia comprehensa: quinque inquam, tantum vocabula declarare voluit, *genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens*: quorum in categoriis videbatur esse necessaria cognitio: quanquam eodem modo haec eadem in Topicis ARISTOTELES instituerat, unde peti poterant, si utilia viderentur: itaque frustra suscepimus hic labor (etiam cui placeat eiusmodi doctrina) videatur: quae si commodius, & utilius, quam Aristoteles, interpretari vellet, res tota certe facilis erat: si perspicue, breviterque, ut oportuit, singula definirentur, & exemplis illustrarentur hoc modo: *genus est dictio, quae interroganti quid est de pluribus rebus respondetur, ut animal hominis, & bellua genus est, de quibus interroganti quid est, respondetur: & homo Socratis, & Platonis, de quibus eodem modo respondetur: species*

pars ea est, de qua genus ita respondetur, ut Socrates hominis, & homo animalis species est: *Differentia est forma rei, & ea causa, propter quam res est, id quod est, ut animal a sentiente anima, animal est: homo a ratiocinante anima homo est: proprium est vis natura-
liter insita, omni, solique subiecto semper con-
veniens: ut in homine ridendi vis: in lupis, ululandi: in canibus latrandi: accidens est, quod cum adest, abestve, subiectum nihil im-
mutat: ut Socratis accidentia sunt candor, iu-
ventus, ambulatio, disputatio: haec inquam, breviter & aperte dicere, res non magna, ne-
que difficilis erat: verum Porphyrius haec pau-
cula falsa institutione depravavit: & alia vanis-
simis, stultissimisque nugis referta quam plurima cumulavit. Tria enim vocabula genus, spe-
ciem, differentiam alieno quodam, distortoque modo tradidit: *genus est quod de pluribus, & differentibus specie in eo quod quid est, praedi-
catur: species est quod de pluribus, & differ-
entibus numero, in eo quod quid est, praedi-
catur: quibus in definitionibus servum video suo quodam iure domini Aristotelis pedissequum,*
& cum aliqua excusatione servitus lapsum esse: Sed quaenam (malum) est ista voluntaria servi-
tus? simus (si servitus tamen hic esse possit) omnes veritatis servi: ut libertate nostra fruamur: ubi igitur est harum rerum veritas? in populari consuetudine, atque usu,*

Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi:

ut ait HORATIVS, immo vero ut illi ipsi in schola sua Philosophi: PLATO enim *populum linguae magistrum* dicit: ab eoque verborum usum sumendum: ARISTOTELES vero sentien-
dum cum paucis ait, cum populo tamen lo-
quendum: ita CICERO (cum de his rebus lo-
quitur) *scientiam* (ait) *mibi reservavi: usum populo dedi: quid memorem celebre illud POM-
PONII MARCELLI de verbo quodam in oratione Tyberi Caesaris non satis Latino, cum CA-
PITO diceret, & esse illud Latinum, & si non esset, futurum certe: iam inde mentitur Capito,*
ait MARCELLVS, *tu enim Caesar hominibus civi-
tatem dare potes, verbis non potes: stet igitur il-
lud verborum usum non pro desidiosorum ho-
minum libidine, sed populi, & naturalis ser-
monis consuetudine definiri oportere: quo pos-
sito generis, specieque vocabula vitiose a POR-
PHYRIO definita percipientur: genus enim po-
pularis sensus atque oratio quandam communem appellationem dicit: quae interroganti quid est, de pluribus respondetur: speciem partem illam, de qua genus ita rebus respondetur: quemadmodum initio definivi: ubi enim exceptis rabularum sophistarum scholis, genus huius sermonis audietur? homo est species Platonis, Pla-
tanus est species huius herbae: smaragdus est spe-
cies huius gemmae: non contra? Plato est spe-
cies*

ties hominis, haec herba est species platani: haec gemma est species smaragdi: quamvis generis vocabulum pro specie usurpari soleat: ut animalium genera multa sunt: causarum tria genera: speciei nomen nunquam pro genere, est igitur nomen generis universum, speciei singulare: illud totum quiddam multarum partium, hoc partem in toto comprehensam significat: ut genus naturali quadam relatione multiplicis speciei totum, species eadem ratione pars generis habeatur: quod interpres iste sentit, cum ait, *quia genus sit alicuius speciei genus, & species alicuius generis species: propterea alterum alterius mutua ratione definiri*: sed alterum nescio quem habitum contra omnem usum, & veritatem sermonis commentus est: quamobrem? ne Aristoteles errasse videretur: qui ipsis hominibus uno Iove (credo) vel maior est: ut summum Deum errasse potius, quam Aristotelem fateantur: o miseri sophistae si haec intelligitis, & stultissimas opiniones anteponitis veritati, misériores, si non intelligitis: quibus tot annos in hoc misero luto volutatis, nunquam venit in mentem cogitare, quorū haec disserentur, quibus in rebus horum praeceptorum usus veraretur, quis fructus inde perciperetur: quid deinde? differentia est: quae fuerat, ut exposui, definienda forma rei, & ea causa, propter quam res est, id quod est, ut omnium rerum (sicut est) sua forma, suaque differentia dicatur: at hic interpres differentiam ait esse, *quae (utar scholasticis verbis) de pluribus specie differentibus in eo quod quale quid est, praedicatur*: cur differentia solis generibus attribuitur? an nulla speciei etiam a vobis definita differentia est? Aristoteles ita definit: ergo damnata veritate per omnes saltus, asperitates, salebras Aristoteles sequendus est? hīc distinctionum, id est, abusionum myriadas paratas esse scio: sed in artium traditione captiosam illam subtilitatem nolo: definitam perspicuitatem volo: & ut progressionis facilem viam laudo, sic malitiosam erroris occasionem vitupero: si differentiae in distinguendis, definiendisque rebus utilitas ulla est, cur non tanta quaeritur, quantum usus, naturaque rerum ferre potest? at videmus omnium rerum seu universarum, seu singularum naturale quoddam, definitumque discriminem esse: quod cum possit, & debeat appellari *differentia*, cur potius inverso fine res verbis, quam verba rebus (quibus explicandis inventa sunt) cedent, atque inservient? reliqua duo proprium, & accidens ut brevius, quam superiora, ita minus obscure, confuseque tradita sunt: atque haētenus in quinque vocabulis definiendis, & supervacaneum (cum possent haec eadem a principe illo erroris assumi) & translatum (cum repugnantia, contrariaque usui, & talium praeceptionum fini doceat) huius interpretis laborem esse constitit: nugarum se-

quuntur, & vanissimarum rerum cumuli: si enim de tam multis interpretationis huius versibus decem auferantur in definitiones, & exempla quinque vocabulorum, reliqua inania, & ab inani, otiosaque deliratione profecta reperientur: in quibus quia duntaxat alienum sensum, non iudicium suum explicare voluit, non requiram, eur cum fontes inventionis attingere coepisset, multo plures omiserit quam exposuerit: nec enim servum deceret sapientiorem esse domino: sed tamen, iure tam diligentem interpretem rogabo, quid ad Aristotelis, & quinque vocabulorum explicationem pertineant quæstiones de genere, & specie: an substantiae quaedam sint, an nuda duntaxat intelligentia comprehensa: si autem illud, corporis expertes, an participes: ab omnine sensu sciunctae, an in his rebus positae, quae sub sensum cadunt: quid inquam, hæ quæstiones ad Aristotelis expositionem valeant? eas praeterit (inquires) ac reiicit, fateor: sed dum simulat se reiicere, gravius offendit, quam si plena disputatione tractasset, & explicasset: proposuit enim sui studiosis aenigma: in quo dissolvendo se misere torquerent: & nimis malitiose, ut Galathea illa Virgiliana, amatores suos incendit: quemadmodum enim apud Poëtam,

Malo me Galathea petit lasciva puella:

Et fugit ad salices, & se cupid ante videri: Sic argutus hic interpres cum proponit se velle a quæstionibus arduis, & obscuris abstinere: proponit tamen eas, id est, malo scrupo discipulorum suorum animos ferit: dehinc fugit ad salices, ut sui se fugientem persequantur: & circa gordium nodum luctentur: quid est? num mentior? qui sudores, qui labores interpretum, ut quæstiones istas in Dialectica (ut Porphyrius ipse sentit) inutiles, & alienas exponant? & Aristotelis interpretem secundarii interpretes nova interpretatione sic interpretentur, ut ipsi tertios interpretes requirant? o vanitatem interpretum: siccine bonae iuventuti illuditur? hæ liberalibus studiis tenebrae pro luce proponuntur? sed haec levissima sunt, si cum sequentibus conferantur: itaque cum hanc prooemii nugarioram vanitatem merito sic accusasse, rogarerim quorū significationes in generis definitione nescio quot enumerantur: hoc enim Grammaticorum est, non Dialecticorum: & multo plures, quam hic Porphyrius, in dictionario suo CALEPINVS exposuit: quorū tam longa, tamque molesta oratione generis a caeteris quatuor vocabulis differentia colligitur? an definitio recta, non est definitae rei a caeteris distinctio? cur sponte, Porphyri, & tamdiu nugaris? & unam rem toties, & inutiliter simplicibus animis obtrudis? quid similis cacotechnia in speciei, differentiae, proprii, accidentis disputatione tradita? cur tam variae definitiones, divisionesque conturbatae? tres enim speciei,

quinque differentiae definitiones velut aggerantur: quasi non potuerit una, & simplex, & vera unius, & simplicis, & verae naturae esse declaratio: eadem confusione & speciei divisio facta in *speciem specialissimam* (haec enim hominum istorum oratio est) & *subalternam*: & generis in *generalissimum*, & *subalternum*, cum naturalis sit & speciei, & generis unus (ut exposui) duntaxat habitus: & differentiae quatuor divisiones absurdæ plane, & ridiculæ: si enim definitio (ut necesse est) differentiae pœponatur, divisiones illæ pueriles, & deliræ reperientur: & proprii quatuor significaciones, & accidentis tres definitiones, cum una satis, superque futura sit: sed quid ista persequor, cum media pars operis huius universi inaudito somniorum genere compleatur? *communitates* ab autore suo, & *differentiae quinque vocabulorum* nominantur: attolle paulisper mentem & nugator vanissime, & de fine, de quo (ut arbitror) cogitasti numquam, iam nunc aliquando cogita: cur ista toties inculcantur? an ut Christianam religionem impio, sic Dialecticam artem dementi stylo vexares? si quinque illa vocabula recte definieras, nonne has differentias, & communitates expresseras? quemadmodum cum dico te iniquum, quia Deo Optimo, Maximo nefarium bellum feceris, & nugatorem vanum, quia toties rem eandem inutiliter balbutis, an me aequo animo audies, si te molestum, obscurum, inutilem, garrulum, loquacem, nugigerum, immanis impietatis feritate occaecatum, stimulante sceleratissimi iudicii conscientia furiosum, pestem coelo, terrisque invisam appelle? hic si commorari, peccata tua dividere, definire pluribus modis, teque iustissimo iudicio persequi velim, vix feret me iudex unam horam de tuis maximis flagitiis verissime disputantem: ego te de his rebus tot secula mentientem, caligantem, nugantem perferendum putem? Te vero, dominumque tuum in veritatis iudicium adducam: circumforaneas merces vestras propalam, & in conspectu omnium constituam, ut praestigiae vestrae aliquando cognitae digno risu excipientur, vel potius insidiae debito suppicio coercentur: adeste & Porphyriani, & subductis virtutis vestri ducis summam aliquam facite: quinque vocabula Porphyrius ad cognitionem categoriarum necessaria exposuit, quo modo? quo prius Aristoteles, inutili videlicet falsoque: quod de suo Porphyrius addidit? spinas, & impedimenta anilium, fabulosarumque nugarum, quibus discipulos suos, simillimos sui fabulatores & nugatores efficeret: hanc bone deus, amentiam tanta reverentia, tantaque religione legimus, suspicimus? haec nobis in categorias ingressio paratur? iam vestrae partes sunt, quicunque, & ubique honesta studia colitis, pestes istas publicorum studiorum detestari, odiisse, exe-

crari: propinquos, amicos ab his miseris laqueis avertere: detrimenti, periculique admonere, adversas utilitates in meliore, & rectiore via demonstrare: ad eas adhortari: & quod ipse iubet, Deum in veritate pulcherrimæ doctrinae venerari: hocque tanto bono mortales omnes impertiri. At in vestibulo nimium diu moramur, introëamus, categorias intueamur, an inveniendi vim, doctrinamque aliquam & veram, & utilem continent? nullam artem hic video: nullam artis cuiusquam utilitatem, sed confusionem artium omnium incommodissimam, quid (inquires) potestne sapientius esse consilium, & hominibus utilius, quam omnem rerum naturam per genera, species, differentias gradatim, atque ordinatim descriptas in decem egregias acies (quod in *categoriis* fecit ARISTOTELES) partiri? non vides veluti propugnaculis hinc, & inde (*antepraedicamenta*, & *postpraedicamenta* nominant) castra ipsa septa, vallataque? video, inquam, sed caltra hostilia, & inimica propugnacula Dialecticae veritati: quamobrem quoniam pro hac veritate sophistis, id est, hostibus veritatis bellum indiximus, non modo labores omnes, periculaque subeunda sunt, ut haec sophistarum receptacula funditus evertantur: sed etiam si opus fuerit forti, glorioseque morte occumbendum: itaque iam signa canant, & in primum propugnaculum impetum faciamus: quinam sunt arcis huius custodes? *homonyma*, *synonyma*, *complexa*, *incomplexa*: ohe? quid Grammatici in Dialectica? capti, ut suspicor, a sophistis, & in hac custodia non sponte, sed vi sunt constituti: liceat miseris aliquando liberis esse: abeant incolumes, redeant ad Grammaticos, & ad populares, propinquosque suos: video tamen Dialecticum nescio quem habitum: *paronyma* sunt, quae vix ita mutata veste cognoscet: locum enim habent inventionis proprium: & *conjugata* in sua regione nominantur: admittitur haec vestis, propria reddatur, & in locum inventionis proprium ab hoc propugnaculo remittantur, ut illic commoditatis aliquid efficiant: quoniam hic prodesse nihil possunt: quid postea? video duas horribili facie regulas,

Quando alterum de altero praedicatur, ut de subiecto, quaecunque de eo, quod praedicatur, dicuntur, omnia etiam de subiecto dicuntur. Diversorum generum, & non subalternum positorum diversae species sunt, & differentiae. Nonne verae sunt? verae certe, sed & vera mala multa sunt: nec quia verum aliquid, ideo protinus in arte approbandum: constare enim debet ars legibus, & institutis non solum veris, sed multo magis utilibus: istae autem regulæ, quia rei stultæ, & inutilis, ut mox apparebit, gratia sunt institutæ, quid utilitatis afferent? idem fere robur est, eadem firmitas secundi propugnaculi: stant in vestibulo oppositorum genera: cur